DE ORTU ET NATURA SANGUINIS.

A *JOANNE BETTO* M. D. Regis Medico Ordinario & Collegii *Londinensis* Socio.

Est admirabilis quædam continuatio, seriésque rerum, ut alia ex aliâ nexa, & omnes inter se aptæ, colligatæque videantur. Cicer. de Nat. Deorum l. 1.

LONDINI,

Ex Officinâ *E. T.* væneúntque apud *Gulielmum Grantham*, ad Insigne Ursi nigri, in Aulâ *Westmonasterienſi*. 1669.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

4 Nº

Ad Lectorem.

EA est humanæ mentis indoles ut ab objectis seu rebus extra se positis ac vario motu sentiendi organa percellentibus omnem intelligentiam suam consequatur. Ipsæ namque hæ impressiones, si considerentur quatenus in Cerebrum deferuntur ibique motum terminant suum, Sensationes *nuncupantur; sin cogitentur ut ulteriùs provectæ perlatæque ad Animam, ibique oculi Spiritalis leviter perstringentes aciem, tunc enimverò* Notiones, *hoc est,* Cognitionis Principia *sive Elementa tum haberi, tum appellari solent. Quare, tunc demùm solida ac perfecta, imò inerrans omninò consurget rerum Cognitio quoties ad directum hunc rerum in mentem illapsum sedulò advertatur, ac super impressionibus jam dictis, veluti super quâdam intelligendi basi omnem scientiam nostram extruere satagamus; modò adsit cautio nè majori simul semélque oneret se Mens notionum multitudine quàm cui gnaviter vibrandæ, atque in Rectæ Rationis compingendæ fabricam, par sit: A Corporis siquidem hebetata complexu dum ad*

multa uno contuitu inſpicienda diſtrahitur, ſit ut nè unum quidem horum fixè atque accuratè cernendi, nedum confuſorum ſeriem ſeu coherentiam pervidendi virtutem habeat.

Verùm, præter facultatem jam dictam, eſt & alia menti inſita, reflectendi *nimirum ſuper ſuas ipſius operationes, & priùs cogitata ſæpiùs recudendi atque admirabili quodam acumine ſubtiliter dividendi ſubdividendique. Quam quidem uti eximiam ſanè animi eſſe dotem, &, ſi recta cogitationum regendarum adhibeatur diſciplina, ad Veritatis inveſtigationem atque ad Scientiarum profectum in immenſum pænè amplificandum magnoperè collaturum nullus dubitem, ita niſi operationum mentis noſtræ directrix dextra adſit Logica, nullam meherculè cæſpitandi, imò in peſſimos errores præcipitandi occaſionem excogitari poſſe hâc periculoſiorem omninò indicârim. Nam, cùm Intellectiones hæ Reflexæ non directè à Rebus imprimantur, neque Ipſas ſed potius à nobis priùs cogitata pro Objectis habeant, conſequitur profectò eas non tam Rerum exiſtendi in ſe, quàm noſtrum intelligendi modum ſapere; quò fit, ut, cùm Mens noſtra non-entia tanquam Entia quædam concipere neceſſariò cogatur, imò cum malè gubernata mille Chimæras ſibi fingat tanquam in ipſis poſitas rebus*

quæ

quæ nullibi ſanè præterquam in ipſâmet, eâque errore ſeductâ, reperiuntur, nil mirum ſi, dum Philoſophia *turpiſſimis inde falſitatibus ſcateat atque iſtius modi mentis noſtræ deliriis tanquam primis & per ſe notis nitatur Principiis,* Medicina *quoque (utpote cujus ſtabilitas ab illius pendet firmitudine) vacillet ſæpenumerò, & titubantis inſtar, incertis gradiatur veſtigiis.*

Porrò, præter Vacillationem in Principiis, agit quoque humanum genus in errores devium violata Conſecutionis Lex; à quâ ſancitur nullam Sequelam ex Præmiſſis ritè deduci, neque tanquam validam acceptandam eſſe, niſi Termini ipſius (Subjectum nempe & Prædicatum) evidenter cum tertio quopiam, tanquam Medio, *priùs uniri conſpiciantur; cujus connexionis vi ipſi inter ſe conſequantur Unionem, ſeu (quod perinde eſt) Concluſio ita deducta Veritatis dignitatem atque exiſtimationem nanciſcatur: Nititur autem hic ratiocinandi Canon, tanquam baſi ſuâ, axiomate iſto evidentiſſimo,* Quæ eadem ſunt uni tertio, ea ſunt pariter inter ſe eadem; *Neque quicquam reperitur hâc regulâ ſanctius apud Logicos, magiſve decantatum acceptatúmque inter omnes. Quàm minimùm autem obſervata ſit eadem ab aliquibus Medicinæ Scriptoribus res ipſa clamat; ſi dixiſſem neglectam,*

neglectam esse prorsus eam posthabitámque à vero fortassis nequaquam aberrássem: Legis autem hujus vice quæ Certitudine adeò luculentâ fulget, qualis tandem substituta est alia? Fingit enimverò quilibet sibi pro arbitrio conceptum quendam hactenus inauditum, eumque (cum alia non suppetit) pro verâ rei ignoratæ causâ venditat; Cui si unum aut alterum favere observaverit experimentum, acta res est; arbitratur statim se veritatis attigisse apicem, ac præclarè scientiæ Medicæ litavisse. Saltem sperat inventum suum, si minùs ab Evidentiâ (uti debet) saltem à Novitate, (uti solet) commendatum iri; & licet Judicii Stabilitatem nequaquam indicet, Ingenii tamen Fœcunditatem, quæ (ut nunc sunt res mortalium) æquali habetur pretio, non poterit non manifestare. Quòd si juxta non fallentes cognoscendi leges assertionem eam discussérimus, neque immobiles Principiorum Bases, neque sequelas ex ipsarum naturis rerum necessariò deductas compericmus; sed, illorum loco, Imaginationis fabulum; hujus verò, experimenti alicujus crepuscularia & subtenebrescens Lux, vel potiùs subitanea quædam atque inconstans emicatio; quæ profectò quàm sit fallax inde nosci poterit, quòd idem Experimentum modò in hæc, modò in illa referri princi-

pia

pia quotidie videamus, hucusque tamen nihil certi inde concludi compertum sit.

Pejor adhuc antedictis est Desipientia ea, quæ in res neque notas, neque noscibiles tanquam in Causas (quæ saltem notiores esse debebant) effectus referre Physicos non erubescit; sive illæ sub occultarum qualitatum, virtutis Specificæ, *sive sub quocunque demùm alio inominato adumbrentur nomine. Hæc etenim non merum Scientiæ Principiorúmque* neglectum, *sed, quod longè perniciosius est, Desperationem planè invehere conatur, atque Intellectum Humanum, ad verarum Causarum disquisitionem cognitionémque natum, tenebris quibus obvolutus est nequaquam se enubilare, sed sponte cæcutire jubet. Et Naturæ quidem ipsius invidè veritatem celantis, non autem ignaviæ nostræ eam summâ animi contentione eruere negligentis fuisse hoc vitium ipse fortasse cum aliis judicâssem, si quos fatalis istius Ignorantiæ Professores è primis illis notissimisque qualitatibus atque è multifariâ eorundem complexione, ut debent, caterarum naturas sollicito animi studio elucubrantes animadvertissem; Verùm, postquam neminem horum in unicâ hâc investigandi qualitatum naturas viâ vel pedem unum promovere, & tamen conqueri omnes vehementer*

menter se metam non attigisse, at nec attingere posse observaverim unquam, officii profectò mei esse duxi injustissimam hanc à Naturâ propellere accusationem, atq; in nostrum ipsorum, ut æquum est, inertiam, culpam transferre. Audacter, cùm res veritatis agatur, eloquar; si Dimidium illius operæ, quæ hodie in congerendis Experimentis ad oculos ferè curiosorum pascendos à magnis ingeniis insumitur, in excolendâ nobilissimâ illâ Rationis facultate impenderetur, necessariisque atque evidentibus è meridiano Principiorum Lumine deducendis consequentiis, non dubito brevi fore, ut Res Medicinæ publica in solidâ propriarum causarum cognitione, hoc est, in verâ Scientiâ adeò floreret, ut vix quicquam humanis usibus valdè necessarium diu latere posset; neq; vagæ illæ ac malè stabilitæ opiniones, quarum ingens farrago, leviculârum conjecturarum instar, multorum Medicorum judicia súsq; déq; desultare faciunt, diu se sustentare valerent, sed Luce adeò manifestâ circumfusa, umbrarum more evanescerent.

Neque hîc finis malorum quæ veluti conjuratione quâdam ad pessundandam in re Medicâ scientiam vires suas contulêrunt. Est & aliud hominum genus (Chymistas dico, seu Medico-chymicos) qui primos omnium mortalium se haberi gestiunt, & tamen in Speculatione Principiorum falsitate & spontaneâ Primarum Veritatum positione

tione vel ipſa Medicinæ ſubvertunt fundamina, in Praxi verò mille incommoda (utinam non liceret addere periculoſiſſima) loco ſalutis imò pænè Immortalitatis quam gloriabundi promittunt, fideï ipſorum ſe committentibus adferunt. Ex hâc oſtentatione, & quòd natura ſit hominum inſueta mirari, trita verò atque obvia (licèt ea maximè Naturæ conſona atq; efficacia fuerint) vilipendere, magnâ apud ignarum Vulgus exiſtimatione præpollent ac famâ. Quàm iniquè autem gloriolam hanc aſſumant bi, Medicorúmque nomina ſibi arrogent, paucis manifeſtabo.

Primam itaq; iſtis dicam impingo, Principia *illa quæ aſſignant, tanquam res quaſlibet componentia, reverâ nulla eſſe, ſed meræ* Mixta. *Hujuſmodi etenim Principia debebant eſſe Naturæ perfectè uniformis, cùm partium Heterogeneitas diverſitatem naturarum atq; in eaſdem reſolubilitatem, ac proinde Miſtionem apertiſſimè indicet. De ſingulis inquiramus. Et primùm de Sale interrogo, numquid igneæ naturæ in ſe claudit? Forſan nomen* Ignis *averſatur Chymiſta, rem autem ipſam Naturæ bonitas non permittit inficiari. Fatetur ſiquidem ſe* Spiritum Salis *elicere, qui ſubtilioris eſt ſubſtantiæ quàm ſit id quod relictum eſt. Aliquid itaq; tenuioris indolis quod extractum erat, aliquid item craſſioris quod relictum fuit, complectebatur Sal: Ultra omnem itaq;*

tergi-

tergiversandi possibilitatem concluſum est, Mixtum seu Principiatum esse Salem, non Principium. Idem discursus de Principii dignitate etiam Sulphur & Mercurium dejicit, cum hæc pariter atque ille Ignis operâ in dissimilis naturæ partes disgregentur; saltem si horum unum aut alterum composituræ reum manifestè coarguamus, concidit protinùs Schema araneosum à Chymistis contextum.

Proximè Methodum incuso quam in Primis Corporibus assignandis sectantur isti. Nam, cùm Philosophi sit causas rei de quâ quæri potest investigare, Elementa autem, quæcunque ea sint, debeant esse Simplicia, hoc est, ad naturam Corporis in Communi proximè accedentes seu sub ejus notione immediatè comprehensâ, oportebat Primorum Corporum naturas stabilire volentes ab eorundem Genere, Corpore scilicet in communi, discursus sumere Exordium; deinde ab eò rectè intellecto ac per differentias in plura diviso, ad Elementorum seu Primorum Corporum naturas passu non ambiguo descendere. At nihil quicquam horum in Chymistæ mentem unquam venit; unde, cùm hæc sit unica ad scientiam propriè dictam methodus (scire enim est rem ex Causis cognoscere) saltem si hæc absit, nihil ex meris Experimentis evidenter colligi potest,

convincitur

convincitur nihil prorsus Scientiæ à Chymistis sperandum, cùm vel ipsorum Naturæ Principiorum ipsiúsque ad eadem indaganda viæ ignari sint.

Operæ pretium autem erit saltem quam affectant isti methodum paulisper expendere. Assidet foco Chymista, & Naturam multo Igne torquet quò Principia extorqueat. Cujus operâ tandem dum Salem, Sulphur, & Mercurium è singulis mixtis se extrahere putat, hæc proinde Principiorum instar singulis, tanquam partes componentes, inesse in comperto esse positum sibimet persuadet. Verùm iterùm de Sale interrogo, unde constat quod Hunc multoties elicuerit & non de novo creaverit? Certè Experientia testatum dat ex diuturnâ Ignis operatione res quascunque, antè licèt insulsissimas, salsedine imbui. Attestatur Ratio omnem saporem, cùm sit activitas quædam subtilis in gustûs sensorium, ab Ignis contemperatione proficisci; quin etiam ex continuatâ Ignis in rem quampiam actione fieri non posse quin plurimæ ipsius particulæ eidem immisceantur. Præterea, pro hâc saltem vice sermone utatur nativo & dicat clarè, Mercurius quem extrahit estne pura Aqua, an Aqueæ tantummodò naturæ? Utrum horum mavult respondere ancipiti falsitatis ansâ tenebitur. Nam si solùm Aqueum esse

cum

eum dixerit, & non perfectè seu ex toto Aquam aliquid certè fatetur aliud ei commixtum quod obstat quo minùs omninò sit Aqua; unde non Mercurius, sed Aqua illudque socium (quicquid id fuerit) adjunctum Mercurio Principia erunt, ipse autem Mercurius ex his Principiatum seu Mixtum: sin meram esse eum Aquam contendat, tunc enim verò, cùm Principia debeant esse contraria, è quorum utique complexione media coalescit mixtorum temperies, Ignis quoque pro Principio statuendus est: Et sic invitus in Aristotelica adegêtur Principia, atque è Chymistâ deviatione fœlici Philosophus fiet.

Quid quòd Humanum Corpus, Viventium imò Animantium optimum, dehonestant planè ac vile reddunt dum per ignobiliores Mineralium naturas ejus composituram explicare conantur. Est namq; cuilibet Mixto peculiaris ac propria sibimet textura, alteri seorsùm incommunicabilis; neq; enim sicut Mineralia (& reverâ cuncta) ab Elementaribus, ita Vegetantia quoq; à Mineralibus, aut Animantia à Vegetabilibus plurimis quasi coagmentatis consurgit; neque magis rationem sapit componi humanum corpus è Sale, Sulphure & Mercurio, quam si quis dixerit conflari illud è farragine multifariâ herbarum, fruticum arborúmve. Hæc etenim omnia, cùm Plantæ sint, ad naturam proinde Animalem multò propiùs quam illa accedunt:

accedunt. Imò, abhorrere omnimò naturam animalis ab hujusmodi societate indè patet, quòd, simulac ad naturam mineræ excoctum quid fuerit, protinus velut degener quoddam recrementum è corpore ejicitur, ut in Calculis & speciatim in Urinâ ob Salem cernitur. Et, licèt plusculum Salis edimis in hujus quàm illius reperiatur Sanguine, est tamen hæc non nisi Qualitas quædam accessoria, à variis caloris gradibus ei superveniens, non autem pars aliqua intrinsecè illum componens, vel nativitati ipsius essentialiter debita.

Respondebit forsan Chymista se nequaquam Salem, Sulphur & Mercurium verè sic dicta sub nominibus istis tegere, sed per Salem subinnuere Crassiorem seu Terrestrem, per Sulphur, Inflammabilem, Pinguem seu Aeream, per Mercurium denique, Aqueam Mixti partem. Esto, inquam, per me licet; imò utinam ex animo id dictum esset: Interim verò recurrit sanè premitq; fortiùs discursus dictum à nobis allegatus, concludit q; reperiri idcircò in singulis horum, præter partes illas quæ dictorum Elementorum designantur nominibus, aliquid aliud, hoc est, aliquid præter meram Terram, Aërem, Aquam q;, unde fit ut derivativas ab his appellationes sortiantur, & non nisi quandam horum denotantes participationem. Præterea adeòne juvat Philosophorum opinionem ambientes falsa rebus affingere nomina, et Rhetorculorum more

Meta-

Metaphoricè & Catachreſticè loqui, præſertim in re Phyſicâ quæ præ omnibus penè aliis ſcientiis jure quaſi peculiari ſibi vendicat nativo ac genuino ſermone tradi? Quicquámne nativi eſt quàm Terram craſſam eſſe, Pingue Inflammabile, Aquam denique humectandi virtute præditam? Cur itaque, vulgari ac perſpicuâ locutione poſthabitâ, remota ac longe petita vocabula ad offundendas Veritati tenebras accerſunt? Quantis verò incommodis Scientiam oneret Medicam affectatus iſte loquendi modus vix dici poteſt. Primò namque vocum ambiguitate veram rerum cognitionem involvit obſcurátq;; & licèt nonunquam negare videantur ſe de veris loqui mineris, adeò tamen Mercurio, Sulphure, nitro, alumine, marmore, alabaſtro, ſale eruginoſo & ferrugineo, imò nitro-ſalinis, nitro-ſulphureis, ſalino-ſulphureis & ſulphureo-ſalinis particulis, & mille hujuſmodi in horum libris perſtrepunt omnia, ut corpus profectò humanum non è ſemine in Utero genitum, ſed in fodinâ aliquâ variis mineralibus fætâ concretum, indéque (uti in fabulâ Cadmea proles è Terrâ perhibetur nata) erutum atque oriundum exiſtimari poſſit. Deinde parúmne intereſt ægrotantium ubi de ſalute vitâque ipſorum agitur id ſolatii habere quod ex cognitione (modò capaces ſint) rationum

rationem ob quas hanc vel illam curandi intentionem ipſi profuturam veriſimile eſt, oriri ſolet? Imò affirmare auſim non minimam fore medelæ partem in morbis iis qui ex humorum naſcuntur motu, ſi (ſaltem in communi, ſeu juxta Principia Naturæ generalia quæ omnibus aliqualiter nota ſunt) ſatisfactum ſit Judicio, indéque Phantaſiæ virorum intelligentiâ præditorum, cum qualium non paucis Medico rem habere contingit, quòd Remedia quæ præſcribuntur congrua videantur leniendo vel ſanando morbo quod in ſe ut plurimùm, ſenſu indice, experitur ægrotus. Ex alterâ autem parte cogitemus quàm anxia futura ſit mens valetudinarii qui communium in Naturâ cauſarum ignarus eſſe non poteſt, cum de ſtatu vitæ ſuæ ſollicitè quærenti nihil pro reſponſo reddatur quod Naturam ſonet, ſed, loco rationis cujus aliquatenùs compos ſit, faſtidioſa ignotarum atque obſcurarum vocum futilitas aures ipſius verberet, & tanquam infauſta quædam nox mentis feneſtras circumvolat & caliginoſâ eam detinet ignorantiâ, ſed ne minimus quidem Lucis radius Intellectui illuceſcit. Quam pronus eſt hujuſmodi ægrotus (modo mediocriter ſagax ſit) imaginari non more Naturæ congruo ſecum agi, vel quicquam Certi à Medicinâ ſperandum; ſed de

Corporibus humanis quædam veluti Experimenta desumi, quorum ope Arti adeò obscuræ aliquid tandem aliquando accedat Evidentiæ.

Porrò, si hujusmodi siniſtra ex Chymistarum Principiis Praxique percrebuerit opinio, ut multoties fit, atque Scientiæ Medicæ dedecori vertatur, quibus tandem modis conandum est Calumniam diluere & dignitatem ipsius famámque illibatas servare atque à turpi hâc ignominiâ vindicare. Certè Medicinæ consultis viris à notissimis Naturæ Principiis ordiendum est, atque ex immotâ horum firmitate in Scientiam Medicam derivatâ, ostendendum certissimis eam niti basibus, & non lapsuris, modo cautè progrediatur, passibus incedere. Quàm longè autem Chymistarum exuperat vires hujusmodi inceptum! ut quibus tum desint, (ut declaratum est) Principia, tum ex iisdem deducendi veritatem Methodus. Sacrum itaque Medicinæ nomen dehonestant hi, ad dedecus autem quod invexêrunt amovendum sunt planè impotentes atque inhabiles.

Quare, concludendum prorsus est Artem Chymiæ, dummodò intra suos se continet limites, neque Philosophiæ ferè Primæ invadit privilegia, atque de primis Corporum affectibus ac divisionibus ambitioso vanóque conatu statuere affectat, optimam ac necessariam

neceſſariam eſſe Medicinæ, imò perutilem quoque Philoſophiæ famulam, atque ut talem magnis ſanè laudibus celebrandam. Verùm, cùm ultra objectum tranſilit ſuum, & quæ ſolo Mentis acumine diſtingui ac pervideri poſſunt ſe valere Ignis miniſterio ſecernere, atque oculis cernenda exhibere jactitat, hæc inquam, dum facit, tum Dominæ ſuæ dedecus, tum ſibimet arrogantiæ, affectatæque ignorantiæ ac vaniloquentiæ notam (idque non immeritò) conſciſcit.

Nè, verò præconfutandi deſiderio quicquam Chymiſtis præter æquum verúmque affinxiſſe videar, audiamus horum unum qui inſtar habet omnium, Petrum *dico* Severinum; *qui, cum ex mente* Paracelſi *definit morbos & rationem reddit quare exoticas illas loquendi formulas, quas unicè depereunt, vulgaribus, hoc eſt, genuinis anteponant Chymiſtæ, aſſerit,* Febrim eſſe Sulphur nitroſum accenſum: Colicam eſſe ex mucilagine Tartareâ, aluminoſâ & ſtypticâ. Calculum ex mucilagine marmoreâ alabaſtrinâ, arenoſâ, bolari: Podagram generari ex Sale Mercuriali ſubtiliſſimo & acutiſſimo. Cancrum oriri ex ſale æruginoſo & ferrugineo. Etenim (*inquit ille*) qui dicit ex bile febrem oriri, bilem in mundanâ Anatomiâ non inveniens, multa caliditatis & ſiccitatis ope utetur, ut ſignaturarum ac febrilium ſymptoma- Idea Medicin c. xi.

tum Causas interpretari possit : sed frustrà : imaginarias solummodò inveniet. Qui verò ex nitroso sulphure constitui febrim asserit, hujus sulphuris Anatomiam in multis Speciebus mundanæ Reipub. deprehendens, si ad incudem redux erit Astris exaltatis, fructus & symptomata febrium in proprietatibus specierum manifestè animadvertet. *Imò verò, cum pace tuâ, ô doctissime* Severine, *dictum esto, contrariâ prorsus in discurrendo insistendum est viâ : nam quòd in Anatomiâ reperiantur ista Mundanâ, eò verosimilius est in Microcosmo Humano neutiquam reperiri ; cùm hic sit sub genere Mixti ab omnibus aliis in Mundo majori essentialiter sejunctus, neque eandem idcircò quæ inanimatis inest materiam morbis his generandis præbere natus. Præterea, videamus quid Certi attulerit rei Medicæ ista quas libuerit appellationes rebus indendi licentia. Dic itaq; seriò ut ex uno discamus cætera, Inestne verum ac proprium, seu quale in Magno Mundo invenitur sanguini humano Nitrum? Si asseris, non utiq; quia Nitrum in Mundanâ Anatomiâ, ut tu causaris. sed quòd reverâ in Humano reperiatur Sanguine, absque omni tergiversatione vel excusationis necessitate voce eâ utendum est : Sin neges, nihilo propiùs ad veritatem accessurus es, imò ad Erroris præcipitia magnis passibus ruis, dum Sanguinis naturam per rem quæ nequaquam*

verè

verè ei ineſt explicare conaris.

Cæterùm, ſit illud, vel non ſit (ut vocas) Nitrum, proximè quæro an Nitrum iſtud verum falſúmve reipsâ accendatur, in quo febris rationem poſitam autumas? Si ais, cum Nitri Accenſio (niſi perpetuò & ubiq; tum vocibus tum rebus abuti libet) ſit latentis ignis in Flammam eruptio, erit ſanè Flamma per totas ubiq; diffuſa venas; Magno itaq; conatu feretur ſurſum, ac Caput invadet; ubi, cùm venarum tunicæ tenuiſſimæ ſint, Cerebrique ſubſtantia nda ac frigida, hoc eſt, Flammæ maximè contraria, mirum ſanè erit Febri correptum vel per unicum momentum ſuperſtitem eſſe poſſe: Imò, non multum miraculo abſimile eſt venas ipſas non ubiq; concremari effundiq; Sanguinem: Nam, licèt Flammulæ quædam pro tenuitate materiæ è quâ naſcuntur, innocuæ ferè ſint, ea tamen quæ ex Nitro oritur (qualem eſſe volunt febrilem illam) violenta admodùm eſt, imò furibunda: Nulli itaq; rei parcet quam contingit, ne Tunicis quidem ipſis: ſaltem hæ, papyri inſtar membranaceæ, dum flammæ admota eſt, in rugas contrahentur & tranſmittendo ſanguini erunt prorſus inidoneæ.

At quid interim fiet de Senſu Tactûs? Certè qui Corporis humani texturam, atque in omnes ejus particulas ſiniſque nervulorum per Corporis habitum uſque ad cutem, imò intra eam diffuſionem

ſatis perpenderit, ſimúlq; conſideraverit per eandem ipſam viam ab arteriis ad venas Sanguini eſſe iter, is concludat neceſſe eſt flammam iſtam nitroſam, ſenſationem activitati ſuæ parem, hoc eſt valdè intenſam vbique per locos eos concitaturam. Febre itaque laborans eundem ferè ſentiet ardorem quem palo alligatus ignique expoſitus ſenſurus eſt quando à vicinâ undiq; impetitur flammâ; qualis nè Herculi quidem veſtibus Neſſæo ſanguine tinctis induto unquam contigit. Malè itaque metuo nè Paracelſi *ſequaces, detecti, ac improprietate vocum quibus abutuntur, rerum autem (quas proponunt) abſurditate preſſi, tandem aliquando reſponſuri ſint, ſe nequaquam* Verum *Nitrum, Mercurium, Sulphur Salemve, ſed* quaſi-Nitrum &c. *neque Accenſionem* veram *ſed* quaſi-accenſionem *verbis iis intelligenda cùpere; quod ſi fecerint, inexplicabilibus ſe tegentes tenebris à* Ciceroniano *acumine confutandos relinquam:* Corpus, *inquit,* quid ſit, Sanguis, quid ſit intelligo, quaſi corpus & quaſi ſanguis quid ſit nullo prorſus modo intelligo.

De Nat. Deorum l. 1.

Occlamitabunt Chymiſtæ me Judices Medicorum conſtituere ægrotos, & juſtæ Artificum authoritati detrahere quò minùs ipſis in Arte ſuâ credendum ſit. Ego verò aliud eſſe arbitror Tribunali, Judicum inſtar,

ſtar, præſidere eos, aliud more pecudum ſeu brutorum animalium agi. Quare, juxta eum cognitionis gradum quo vel omnes à Naturâ imbuti, vel ab educatione inſtituti ſunt pauci, regatur quilibet. Aſcultent paulisper Chymiſtæ & quibus modis ego Medicinæ proſpiciam honori breviter exponam; quod ubi fecerim, vel ipſos non detrectabo Judices. Primò itaque, dum loquendum eſt in Communi, nulla proferantur Principia præterquam ea quorum perceptio omnibus à naturâ indita eſt, hoc eſt, reverâ ejuſmodi quæ Evidentiam Principiorum propriam habeant, & ſic nomen illud dignitatémque promereantur; qualia ſunt Axiomata illa quæ ad Elementorum Primarúmque naturas Qualitatum directè atque immediatè ſpectant. Dein, cum ad Specialia deſcendendum eſt, quorum intellectio non à Naturâ ſed ab Arte petenda, in hujuſmodi (inquam) rebus Medici peritiæ, ut æquum eſt, fidant; quod profectò eò libentiùs facient ægroti quò Medicum in communibus ſibíq; notis Naturæ conſona, ſeu qualia ſæpiſſimè experti ſint ipſi, protuliſſe perceperint. Præcipuè verò omnium non deſinant inculcare ac manifeſtum reddere (quod ſanè facillimum eſt) non ſolâ præſcriptiuncularum ope curatum iri quenquam, ſed à periti judicio Medici, ægrotantis ſtatum, pénitiùs inſpicientis atque Me-

dicamina pro datis occaſionibus (quæ mille modis gradibuſque variari ſolent) ſapienter attemperantis. Hanc ſi inſtituant viam, actum eſſet de inanibus Agyrtarum & Vetularum conatibus, atque uberrimus, iſque debitiſſimus Honor Medicinæ ejúſque Profeſſoribus accreſceret, ipſorum denique ægrotorum ſaluti longè meliùs certiúſque conſultum foret.

Hactenùs de perniciosis Pſeudo-Iatrorum vitiis, quæ quidem vel fugiſſe virtus eſt: Videamus jam quale defectibus quos liberè notavimus & non abſque ſeveritate aliquâ perſtrinximus in aliis, ipſi (pro viribus noſtris) remedium atque opem ſubminiſtrare conemur. Nam, cùm ipſas Scholarum Medicarum Columnas, Principia dico, tonitruanti vocabulorum ſtrepitu concuti, deſertâque naturâ Rationeque ſolam dominari Phantaſiam, ac de Veritate victricem triumphare animadverti ſſem; qualecunque tandem laboranti Medicinæ adferre ſubſidium opportunum eſſe cenſui.

Primò itaque omnium nè, præ baſis defectu, quicquam extruamus lapſet ac corruat, nihil abſolutè pro Principio gratis ſeu precariò ſupponimus, ſed ea tantùm amplectimur quæ, ab ipſius ratione Corporis neceſſariò deducta, evidentiam ſuam admittendi

mittendi vim nobis faciunt. Hæc, ubi monuerit locus, breviter pro noſtri ratione inſtituti, innuimus, imò non ſemel inculcavimus; pleniùs forſan in poſterum expoſituri, præſertim ſi quid oppoſitum fuerit quod fundamina hæc à Naturâ ſancita ſubvertere aut convellere videatur. Communi rerum omnium materiâ hoc modo ſtabilitâ ac diſtinctâ, ubi ad eam quæ ſanguini eſt propria ac peculiaris pervenitur, ſumo quod omnibus notum eſt, Chylum nempe eſſe Effectum ſeu Terminum Coctionis Primæ, ac proinde Secundæ, à quâ, elaboratur Sanguis, materiam Immediatam. Porrò, eſſe Chylum quoddam Lactis genus tum ex eo patet quod ab eiſdem cauſis affectus eaſdem, quas Lac, diſcludat partes, tum ex multis aliis indiciis naturæ ſimilitudinem commonſtrantibus; quarum commemoratio non eſt hujus loci. Hinc ad Butyrum, Caſeum, Serúmque delabimur, ut quæ integram Lactis ſeu Chyli compoſitionem inter ſe partiuntur, ac perfectè condividunt. Horum ſigillatim naturas excutio; indéque morborum omnium medendique iis rationes elicere tento. Dum autem quæ ſit cujuſvis rei natura elucidare contendo, cùm nihil unquam repererim in rebus, imò nec reperiri poſſe crediderim, vel potiùs pro certo noverim, præter communem Materiam diverſis

modis

modis eidem ſupervenientibus, ſen (ut vocant) Accidentibus variatum, ab horum proinde explicatione, uti par eſt, veras rerum ipſarum naturas in apricum proferre operam do. Qualitatis *nomine (ne quam incuſem in aliis ipſe affectare videar obſcuritatem) nihil aliud intelligo præter particulas quaſdam, ſive ab Elemento, ſive à Mixto deciſas, atque aliis corporibus eo gradu communicatas immiſtáſve ut ea non in aliud immutandi ſed ex parte tantummodò alterandi vim habeant. Ex harum primis, utpote notiſſimis, reliquarum de quibus mihi tractare incumbit, pro modulo meo, originem deduco; licèt id quidem nequaquam adeò elaboratè exequar; difficillimum enim eſt in unico libello infinita pènè quæ occurrunt argumenta plenè atque accuratè perſequi.* Occultas *verò, ut vocant,* Qualitates, *ubicunque res tulerit, in propatulum, exutâ larvâ, protrahere impensè laboro.* Virtutis *itaque ſeu* Facultatis *nominibus nihil aliud ſignificari velim præter eaſdem ipſas notas* Qualitates, (*ſive* Primas *ſimplicéſque, ſive ex* Primis *ortas,*) *non in quantum ſubjecta quibus inſunt abſolutè in ſe, ſed quatenùs eadem in ordine ad alia in quæ operari nata ſunt, perficiunt. Neque interim* Logicæ *detrecto opem, ſed ad ejus normam cogitationes meas, quantum poſſum*

possum, dirigo. Hinc simplicissimam certissimámque dividendi methodum, per plus scilicet minúsque notionis Communis, ubi res postulat, constanter observo. Hinc conceptus meos, pro virili exactè distinguo, nè quando in Confusionis tenebris titubet Ratio: Hinc denique, ubi quid concludendum est, immediatas propriásque rei cujusvis causas perquiro, iisque solis (quantum licet) pro Argumentis utor.

Porrò, cùm permagnum sit Veritatis indicium si speculativè deductis responderint Effectus, nihilque notius sit quàm Rationem, modò vera ea fuerit, Praxin fælicissimo honestatam successu sequacem sibi habituram, eâ de causâ profiteor me nihil quicquam hoc in libro asserere cui Praxis mea non consonet; cùm è contrà observatum sit nonnullos Scriptores Inventa in Medicinâ protulisse nova, antiquum tamen & vulgarem medendi modum etiamnum esse sectatos: Quæ profectò diffidentia vel mentem Inevidentiæ in iis quæ scripserint sibi conſciam, vel saltem experientiam nequaquam prosperè succedi cum ejusmodi doctrinæ schemata Praxi applicantur, subindicare videtur.

Aliorum Errores sapiùs notavi quàm vel multis forsan Lectoribus vel mihi etiam ipsi cordi fuerit; verùm æquiores veritatis amatores (uti spero) perpendent,

dent, me latum (imò pænè integrum) Medicinæ Campum, brevi comprehensum spatio, decurrendum proposuisse; unde permultæ opiniones doctrinæ, quam veram esse mihi persuasum fuit, non potuerunt non occurrere: quas proinde, si quando obvias eas habebam, amovere quandoque atque dispellere mihi vel invito necesse erat. Imò, quamplurimas alias sciens prætérii, eò quòd meum præcipuè esse hoc in loco arbitrabar Principiis Medicinæ statuendis dare operam, non autem secùs scriptorum, nisi cogente necessitate, confutationes texere.

Aristotelem *in Principiis Philosophiæ me secutum esse agnosco, ut qui solus præ omnibus nihil gratis supponere, sed super Evidentibus ex se tanquam fundamentis, Scientiæ ædificium extruere sit mihi visus. Hinc Interpretibus iis quos mentem ipsius veriùs attigisse existimo, æquior sum; nonnunquam verò tum ab his, tum ab Illo recedo cum ipsos à veritate recedere judico. De Authoritate verò in genere profiteor me, sive moderna ea fuerit, sive vetus, nihil pensi habere: Æterna siquidem est Veritas, neq; à Temporis Ætatúmque, sive mensuris sive interstitiis laudem suam vel vituperium mutuari debet.*

Hippocrati, *ejúsque interpretibus* Valesio, Alpino & Martiano, *item* Galeno *aliis-*

aliiſque Medicis in firmandâ atque elucidandâ doctrinâ meâ plurimùm debeo. Licet non opus eſſe arbitrabar æris alieni, in his quæ jam publici ſunt juris, exactam ubiq; recognoſcere ſummam, & quaſi appoſitis calculis quantillum cuiquam debeam minutim numerare.

In plurimis locis ſuccinctâ valde uſus ſum locutione, præſertim in Capite ultimo; memor videlicet hujuſmodi ratiocinia non niſi doctis ac ſapientibus ſcribi oportere, quibus (ut in proverbio eſt) vel verbum ſatis *ſit. Nonnunquam res, magnopere licèt materiâ diſpares, tamen ob ſimilitudinem quandam & communem utriſque Cauſam efficientem in eandem commiſi Sectionem; ut in Fumo Flatúque videre eſt. Eò autem id feci quòd juxta ſe poſita hujuſmodi magis eluceſcerent, mutuâſque tum in naturis tum medelis quoque ſuis declarandis commodarent operas. Nonnunquam etiam ob conſimile rerum Argumentum, eadem ſcilicet Principia ſæpiùs, ut opus erat, repetita (utcunque diverſimodè applicata) iiſdem quoque vocabulis uti coactus fui. Verùm non admodùm ſollicitus ſum de ſtylo ſeu vocibus, Veſtibus utique Veritatis, ut quæ vel nuda maximè placere ſolet, & quam, pannis licet obſitam, ſemper tamen eſſe amplexandam judicârim.*

Vehe-

Vehementer autem à Lectore peto nè quod præ candido amplificandæ veritatis studio scripserim ita interpretetur perinde acsi præ arroganti de inventis meis opinione, aut fastidioso aliorum despectu, vel omnibus in universum Medicis Scientiam, vel ipsi Medicinæ, etiam hodiernæ, Certitudinem detrahere conatus sim. Fateor equidem, idque ex animo quòd ex Anatomiæ αὐτοψίᾳ, *Historiis medicis fidelissimè conscriptis, veterum ex longâ multâque observatione sanctionibus, compilatorum libris, accedente præsertim (ni malè speculando eam obliterare velimus) à Naturæ bonitate Principiorum cognitione, permulta reperiri etiamnum in Medicinâ Certissima atque Evidentissima. Et, quantum ad ipsos attinet Medicos, tot tantisque viris omni Scientiarum genere excultissimis adeò florescit hodie Collegium* Londinense, *ut dubium relinquerint majúsne sint, ob inuenta sua Medicinam amplificantia, sæculi nostri decus, an dedecus Superiorum. Quæ autem sola mihi tribuam hæc sunt;* Aristotelis *&* Hippocratis *Lectio, magnum Principiorum firmorum desiderium, animus ab Authorum studio liber, atque ad amplectendam veritatem, ubicunque eam invenero, expeditus; Peragratio per varias Orbis terrarum Partes, quò morbos endemios & res exoticas explorarem intimiùs,*

miùs, Induſtria demique non fatiganda; His, inquam, & non alicui præ aliis ingenii præſtantiæ tribuendum eſt, ſi quid in hoc libro laudabile videatur. Non poſſum tamen non agnoſcere me erga veræ ad ſcientiam methodi neglectum mentem nequaquam benignam gerere, ſed eum (ubi commodum fuit) tanquam unicum promovendæ Cognitionis impedimentum datâ operâ perſtringere ac dedecorare. Hoc enim ni feciſſem, minùs me officio erga Veritatem meo feciſſe ſatis mihi conſcius fuiſſem.

Nullum Scriptis meis Patronum adſciſco; nam, ſi Errores ſint, nemo eis patrocinari aut debet aut poteſt; ſin minùs, ipſa ſibi patrocinabitur Veritas.

Elenchus Capitum & Sectionum.

CAPUT PRIMUM.

De immediatâ Sanguinis materiâ, ſeu de Lacte, pag. 1

Sectio Prima.

Ineſſe cunctis Vegetabilibus nutritivis, Lacteum quendam Succum; atque Animantibus ſanguificis, quoddam etiam Lac. 3

Sectio Secunda.

De Lactis in Animantibus augendi minuendique ratione, déque ſuperflui Secretione. p. 12

Sectio Tertia.

De præternaturali Lactis tam in ventriculo quàm in inteſtinis alteratione, ejuſdémque effectibus. 23

Sectio Quarta:

De præternaturali Lactis in aliis corporis partibus alteratione, déque effectibus inde natis. pag. 27

Sectio Quinta.

De Lactis ritè ministrati utilitatibus. p. 32

CAPUT SECUNDUM.

De Pinguedine, ejusque Speciebus ac effectibus. p. 41

Sectio Prima.

De Pinguedine in Non-viventibus. p. 43

Sectio Secunda.

De Dulcedine; nonnullisque aliis qualitatibus per quas ad ipsam accessus, recessúsve ab eâ fit. p. 48

Sectio Tertia:

De Suavitate, ejúsque causis. p. 58

Sectio

Sectio Quarta.

De Pinguedine in Animantibus, & quibus modis consequenda sit. pag. 62

Sectio Quinta.

De Morbis è Pinguedine tum Internâ tum Externa natis. p. 69

Sectio Sexta.

De Pinguium intùs sumptorum & extrinsecùs applicatorum commodis. p. 75

Sectio Septima.

De nobilioribus Pinguium intùs sumptorum Effectibus. p. 82

Sectio Octava.

De Sanguinis parte Igneâ, seu de Spiritu. Et primò de Spirituum Naturâ ac Distinctione. p. 97

Sectio Nona.

De Lumine, Spiritibus attribui solito. p. 106

Sectio Decima.

De Spirituum Calore. p. 111

Sectio Undecima.

De Motibus nonnullis è Spiritu ortis, Sanguinis nempe Circulatione, Nutritione & tandem Generatione. p. 116.

Sectio Duodecima.

De Motu Fermentationis. p. 127

Sectio Decima tertia.

De Motu voluntario, ac Temperamentorum in mores influxu. p. 134

Sectio Decima quarta.

De Proximâ Spirituum materiâ. p. 147

Sectio Decima quinta.

De Spiritibus reficiendis emendandisque. p. 153

Sectio Decima sexta.

De nonnullis Morbis è Spirituum incremento ortis, eorúmque causis. p. 156

Sectio Decima septima.

De Peste. p. 160

Sectio Decima octava.

De Senectute. p. 166

Sectio

Sectio Decima nona.

De Fumo & Flatu. p. 168

Sectio Vigesima.

De Morbis è Fumo Flatúque ortis, eisque Medendi ratione. p. 179

Sectio Vigesima prima.

De Amaro. p. 189

Sectio Vigesima secunda.

De Bile. p. 198

Sectio Vigesima tertia.

De Morbis è Bile ortis. p. 208

CAPUT TERTIUM.

De Aqueâ seu Serosâ Lactis parte.

Sectio Prima.

De Seri Naturâ, Morbisque ex ipsius abundantiâ natis. p. 215

Sectio Secunda.

De Seri abundantis Evacuatione & quibus modis ea fieri possit. p. 223

Sectio Tertia.

De ratione medendi Seri defectui, morbisq; inde genitis. p. 236

Sectio Quarta.

De Seri depravati qualitatibus, & quibus modis sananda sint. p. 238

CAPUT QUARTUM.

De Succo Caseoso seu parte Lactis Terrestri.

Sectio Prima.

De Succi Caseosi Naturâ usúque. p. 249

Sectio Secunda.

De Morbis ex Succi redundantiâ, pravâque dispositione provenientibus. p. 257

Sectio Tertia.

De insignioribus Succi Alterandi Evacuandique modis; item de ejusdem Motu atque Effectibus. p. 264

Sect.

Sectio Quarta.

De Succi defectu & Morbis inde ortis. pag 283

Sectio Quinta.

De Fibris. p. 285

Sectio Sexta.

De Sanguine, ejus temperie, & quibus modis, cum redundat, naturaliter evacuetur. p. 295

Sectio Septima.

Præcipuarum circa Sanguinem Quæstionum solutio. p. 305

DE ORTU & NATURA SANGUINIS.

CAPUT PRIMUM.

De Immediatâ Sanguinis Materiâ; ſeu de Lacte.

CUm Sanguinis ea ſit ſubtilitas, eminentia ea, ut ab omnibus Animæ Senſitivæ domicilium, à quibuſdam autem (ſaltem quoad aliquas ejus partes) ipſa etiam Anima habeatur; de ejus proinde naturâ pro dignitate tractare, ſingulóſque ejuſdem ſinus multiplici texturâ intermiſtos penitiùs introſpicere, perfectâque explicatione, tanquam anatomiâ quâdam Chymicâ, evolvere, arduum profectò opus atque operoſum eſt, neque à quoquam hactenus, quod ſciam, tentatum. Quò faciliùs ab æquis Lectoribus mediocritati noſtræ danda erit venia, ſi auſa adeò ingentia non uſquequaque

attigerimus: certè non temnendum Scientiæ Medicæ contulerimus profectum, ſi, paucula licèt ea quidem, firmiſſima tamen (uti ſperamus) futura, in Medicinâ, ſanxerimus Fundamenta. Novi equidem, fœliciſſimis ſæculi noſtri ingeniis nihil penitùs ſatisfacere, niſi quis à primâ atque univerſaliſſimâ Corporis diviſione incipiens, indéque ad mixtorum demixtorúmque naturas ordine certo deſcendens, unumquodque eorum in cauſas primas & per ſe notas retrogrado mentis diſcurſu refundere valeat: Nec fortè deſperandum, quin aliqualis hujuſmodi lux Medicinam tandem aliquando beatura ſit; accedente præſertim Experimentorum ſive Naturalis hiſtoriæ perfectiori cognitione. Verùm, nobis ſat erit, utpote opus Phyſico-Medicum inſtituentibus, intra Phyſiologiæ ac Medicinæ cancellos rationis noſtræ curſum ſiſtere; &, quia Primorum principiorum Luce in aliquibus deſtitui videmur (quanquam neque ab his abhorrere opuſculum noſtrum confidimus) eâ de cauſâ non niſi obvia & convictûs humani familiaritate notiſſima, pro diſcurſûs noſtri fundamentis jaciemus. Quare, cùm Cauſa materialis alicujus rei ſi, ex unâ parte ſit valdè ſenſibilis et quaſi palpabilis, ex alterâ autem adæquata rei producendæ, non poteſt ipſius Effectûs natu-

naturam non optimè indicare: idcircò à *materiâ* Sanguinis integrâ, seu ab ipso *Lacte* exordium desumemus: Nihil prorsus assertivè profundamento præstructuri, præterquam id in quo vel omnes conveniunt, vel saltem, re penitùs introspectâ, decipi non possunt.

SECTIO PRIMA.

Inesse cunctis Vegetabilibus nutritivis Lacteum quendam succum; atque Animalibus sanguificis, quoddam etiam Lac.

1. COlennis naturæ cursus fert, unumquodque de novo genitum vel à compositis in quibus priùs inerat extrahi, vel saltem à materiâ proximè aptâ ac dispositâ, hoc est, quàm minimè absimili, gigni ac procreari: cogimur itaque fateri Lactis illius quod *Chylum* vocamus ortum vel à lacte quodam, ut ita dicam, vegetabili, in cibis latente, indéq; per digestionem elicito, vel potiùs à *Lacteo* quodam *succo* proximèque ad veri lactis accedente indolem, obstetricante primâ concoctione, proficiscì. Neq; enim ratione omninò caret, Hominem, remotè saltem, lacte

nútriri dum paſcitur Frumento, quod profectò non niſi lacteus quidam ſuccus eſt calore Solis inſpiſſatus, cùm florem habeat butyro quamplurimis qualitatibus ſimillimum, atque, in lacte coctum, cremorem referat: idem fit dum veſcimur fœcundioribus & lactis abundantioribus Animalibus; ovibus, ſcilicet, bobus, & cuniculis. Et, licèt piſces atque aves quæ mammis deſtituuntur, lacte quoque deſtitui videantur; horum tamen caro, haud minùs quàm vitulorum, euchymorúmque omnium, tenera, dulcis, & alba, eam lacteo quodam humore inferciri non permittit nos dubitare. Certè neutri horum generi lac uſquequaque deeſſe, argumento eſt quòd columbæ cæcos & imperfectos quos excludunt pullos lacte quodam congeneo in eorum ora evomendo enutriant: in gallinaginis quoq; aſſati viſceribus lac coctum & inſpiſſatum reperitur: &, piſcium genus quod attinet, vitulus marinus, balæna & delphinus, vivipari & pulmonibus donati, more pecudum, prolem lactant.

2. Ruminantia verò bifida uberiorem lactis proventum atque ad alendum aptiorem elargiuntur; ſolus tamen Camelus, quamvis ruminet, ob cibum nihilominùs inidoneum (ſpinoſum nempe & ligneum) tenuiſſimum habens Lac, eâ forſan de cau-

causâ Judæis inter pecudes immundas numeratur; hæ etenim ut plurimùm (idem dicendum de avibus esu prohibitis, quæ omnes exsuccæ sunt, veluti aquila, struthio, milvus, noctua, et vultur) sunt eachymæ, contra quàm iis quæ verè nutritivam lactis indolem redolent, usu venire compertum est. Jure itaque cautum erat, nè comederentur hujusmodi, quò populus, qui bello potens futurus erat laborúmque patiens, optimis sibíque propriis enutriretur cibis. Unde admiranda, ac summis laudibus concelebranda venit infinita Conditricis Sapientiæ Bonitas, non pro mero voluntatis nutu humanum genus regens ac legibus coercens, sed pro ejusdem bono ac commodo mandata sua sapientissimè ac benignissimè attemperans.

3. Porrò, Animalibus, quæ dixi, Ruminantibus, ob dentium superiorum defectum, plures impertivit Natura ventres, quò duplici triturâ confractâ herbarum substantiâ ex eâdem, loco moderatè calido & humido repositâ, exsudet, & compressione quasi emulgeatur succus Lacteus.

4. Nec prægnantes tantùm & parturientes Lac gignunt, sed & virginum quoque adultarum mammæ lacte turgidæ observatæ sunt, earum menstruis non debitè profluentibus aut omninò obstructis.

Verùm, nè morbo detur quod naturâ cuique ineſt, eduliis quibuſdam (teſte Ariſtotele) effectum eſt aliquando ut non-prægnantes etiam lac gerenent. Imò mulieribus nonnullis, ætate licèt provectioribus, ſuctu frequentiore lac profluxit, tantâ etiam copiâ ut infanti alendo ſatis eſſet. In oppido ſiquidem *Hamiveromanduorum*, Infans, cùm aviam, vetulam ſicciſſimam, mortuâ matre ſugeret, tandem lac emulſiſſe narratur, eóque nutritus eſt abundè. Ubera etiam caprarum quæ coitum non patiuntur, paſtores montis *Oetæ* urticâ perfricant vehementer, quò dolorem infligant; unde fit ut cruentum humorem primùm eliciant, mox purulentum, poſtremò Lac non minùs copioſum quàm ex iis quæ venerem paſſæ ſunt. Ignoſcat virginum verecundia, ſi ipſas, illæsâ pudicitiâ & non niſi ab iniquâ nimis vulgi opinione vitiatas, fœtum quem non peperêre lactare poſſe contendam: enimverò, niſi in anteceſſum delituiſſet lac in earum naturis, nunquam laxorum uberum diſtentione ac ſuctione in mammas illud evocari conceſſum fuiſſet; neque enim poſtmodùm fit organorum alteratio ad *conficiendum* lac, ſed tantùm ad illud *reponendum* in nativis utribus extra corporis molem recedentibus eidemque quaſi appenſis, ne, dum una

Hiſt. animal. Lib. 3. Cap. 20

Bodinus Theatr. Natur. Lib. 3. P. 429.

unà cum ſanguine circumagitur diutiùs, dulcedinem amittat.

5. Unde igitur (inquies) prægnantibus major lactis copia? Inde ſcilicet, quia calor naturalis duplici ſuccumbens oneri, dum matrique fœtuique alimentum præparat, labefactatur magnoperè, adeóque deprimitur ut parùm ultra primam coctionem ſe erigere valeat; Hinc pallore conſpurcata facies, anhelitus, laſſitudo, progrediendique difficultas, dum minus ſanguinis generatur, in quo inſidet vis & robur tum animi tum corporis. In hâc aquoſi humoris deluvie, partes ſpongioſæ, quales ſunt Mammæ, implentur & tumeſcunt; ad quas poſtea infans ſuctu lac attrahit, curſúmque perennat. Ob hanc rationem debilitas tum fœtûs tum matris prædici ſolet cum è mammis multum lactis effluit; indicat nimirum laxus ille rarúſque corporis habitus nimiam lactis copiam generare aptus, virtutem maternam eſſe diminutam, & ab aquei ſeu malè cocti humoris inundatione pæne obrutam. Hinc etiam fortaſſe eſt quòd nutrices fuſcæ candidis præponantur. Neque à ratione jam datâ abludit vulgaris obſervatio, dum Oſtreas, quæ in æſtate lacte quaſi conſperſæ apparent, ægrotare affirmant.

6. Verum enimvero, nequaquam fœminarum

mmarum peculiare eſt iſtud generandi lactis privilegium; Maribus quandoq; indultum, ex accidentali organorum formatione, compertum eſt: utriq; enim ſexui ex æquo ineſt, licèt rariùs in his inveniatur repoſitorium capax; ita ſcilicet inſtituente Naturâ, quia nulli omninò uſui, ſtante rerum ordine, inſervit. In *Lemno* Inſulâ, Capro cuidam ex mammis, quas geminas juxta genitale habet, ea lactis copia emulſa fuit, ut colaſtra inde confecerint: Nonnullis quoq; viris mox à pubertate è mammis expreſſum eſt lactis parùm; imo plurimum indè manâſſe per ſuctum frequentiorem, traditum eſt. Quam quidem ſuctionem non ipſum creare Lac, ſed tantùm elicere & haurire jam ante inexiſtens, nemo cordatus dubitabit. Vidit *Genuæ Cardanus Antonium Benzium* ex oppido portûs *Mauritii*, annum agentem trigeſimum quartum, pallidum, barbâ rarâ, pingui habitu, è cujus mammillis adeò ubertim fluxit lac, ut infantem fermè lactare potuiſſet; nec ſolùm ſtillabat, ſed impetu quoque ferebatur.

Lib. 20. de Subtil

7. Verùm, ut pedem paulò ulteriùs promoveamus: Cùm omnium animantium ſanguificorum genera terrâ aquâve degentium eodem propemodùm ſucco (Lacte, ſcilicet, vel ſaltem lacteo) nutriantur, quem poſt levem alterationem in pro-

propriam tranſumant ſubſtantiam, eundémque denuò indidem extractum fœtibus impartiant, dignum quæſitu eſt à quâ parente, è quóve communi ubere, eum ſugant hauriántque. Nec quenquam latet è Terrâ omnia ortum ducere; eſt etiam rationi conſonum ut à Matre proles foveatur; Telluris itaque viſceribus univerſale quoddam alimenti penu recondidit ſapientiſſimus rerum Opifex, quod inde per radices exſugunt vegetabilia, è quibus deinde mutuantur cætera viventia genera quicquid vegetationis habent. Quædam cum lacte virus porrigunt, ut malus apud Indos occidentales, pomum lethale (Hiſpanis *Mançanillo*) dictum; quædam lac continent cathartícum, ut ſingula Tithymali genera; alterativum quædam, ut ſonchus & cichoracea. Sed ad noſtram rem propriùs ſpectant quæ comeſtibilia habentur; qualia ſunt Cocus ſeu nux Indica, Napi, Potato, & Caſſavi, cujus radice (uti, pane noſtrates) Indi victitant: Nec leviter ficus prætereunda eſt, exemplum præ ſe ferens quo modo ſuccus in ſanguinem à calore nativo mutari poſſit; lac ſiquidem cauſticum habet in caule, quod poſtmodùm, calore Solis excoctum, in fructu rubet & dulceſcit. Quid, quòd terram etiam ipſam lactis rivulis inundare putes; quòd

inde

inde in herbas depromptum libant quotidie pecorum agmina, dum læta pascua dentibus tondent, usquedùm ad immensam pænè molem ubera distendunt, ut in exemplo vaccarum in Epiri pascuis, graminis feracissimis, enutritarum luculentè constat. Asino tantùm pingue illud solum aptum non est, quia tenue lac gignit, neque gaudet pabulo pingui & feraci, quod utique succum præbet spissiorem aptiorémque ad calorem atque animum elargiendum; ob hanc causam est timidus admodum, pediculo redivóque immunis, sterilis, felle carens, frigoris impatiens, & semen genitale frigidius habet.

8. Sed opponet quispiam: Si singula ciborum genera in lac reducantur, melius consultum foret naturæ, si omnes quotquot sunt homines cujuscunq; demùm temperamenti ætatisve fuerint, eo solo, posthabitis vel neglectis penitùs cæteris quibuscunque eduliis, vescantur; hinc siquidem proculdubiò fiet, ut nunquam præ coquendi difficultate fatiganda sit Natura, vel operosæ nimis digestioni (quod non rarò fit) tandem succumbat. Veruntamen, hoc in primis considerandum venit, neque universale naturæ penu Lac jam formatum singulis hominibus submini-strare posse, neque communem naturæ cursum ferre ut à rebus usquequaque vel in eodem gradu

gradu ſimilibus ſinguli nutriantur: cùm enim Coctio ſit appropriatio ſeu aſſimilatio quædam cibi rei nutriendæ, nulla autem res æquè ſimilis eſſe poſſit alteri atque ipſamet eſt ſibi, oportet Concoctionem eſſe Alterationem quandam, ac proinde à re aliquatenùs diſſimili (tanquam à termino à quo) ad rem perfectè ſimilem progredi, idque magis minúſve pro ſingulorum nutriendorum genio ac indole ſecundum gradus multifariàm diverſos; quibus omnibus adaptari & quaſi juſtâ proportione reſpondere poſſe lactis naturam, nemo ſanè æquus rerum æſtimator affirmabit. Providit itaque Materna Naturæ cura lacteum quendam ſuccum qui plurimum Aquæ Aeriſque, tenuiſſimas verò Terræ partes in ſe contineret; è quorum complexu exſurgat temperamentum quoddam *medium*, quò violentiâ nequaquam indigeat; *æquabile* & *dulce* quò naturæ gratum ac nutritioni aptum eſſet; *Rarum* denique admodum, quò facillimè alterationes debitas, hoc eſt, vel ulteriorem attenuationem vel etiam incraſſationem, pro diverſarum ipſius partium & corporis animalis exigentiæ ratione, ſubire ac ſuſtinere poſſet. Præterea, Inſtrumenta ad cibum conficiendum non ſunt data à naturâ ut exoleſcant; deſuetudine enim vacillant dentes ad

molendum

molendum inutiles facti, ventriculi quoque tonus laxatur enervatúrque; nec à tempore solùm seu ætate corpus redditur compactius, verumetiam à diætâ firmiore. Quinimò calor naturalis in subjecto solido melius conservatur, dúmque in densius agit pabulum sibique illud subigit proprio motu tanquam quâdam refuscitatur & vegetior efficitur. Quid quòd ii qui temperamento sunt calidi cibo refrigerantur, inediâ verò incalescant; unde nonnullis à jusculis & sorbitionibus fit febricula; quæ, postquam semel accensa est, corporis partes etiam solidiores depascitur absumitque. Provida itaq; speciei enutriendæ Natura solis animantibus adhuc tenellis ac nondum dentientibus Lac subministravit.

SECTIO SECUNDA.

De Lactis in Animantibus augendi minuendique ratione; déque superflui secretione.

1. COnstitutis lactis usu, ut & universalitate, indéque deductis quæ ad rem nostram faciunt, par discursus de iis quæ Lac minuunt augéntve instituendus est,

est, parilísque omninò deducenda Conclusio. Enimverò, cùm Lactis generatio sit operatio ventriculi intestinorúmque, quot modis vitiatur coctio tot pariter illam quoque violari continget. Temperamentum Ventriculi & Intestinorum in quibus digerendi facultas sita est, calore aut frigore ut plurimùm labefactatur; idcircò præsidia dantur Lac generantia, quò harum qualitatum injuriis contraveniatur. Adversum frigus numerantur fœniculum, eruca, malva, anisum, anethum, petroselinum, cepæ coctæ vel tostæ, omnia denique medicamenta quæ calida sunt in primo gradu aut parùm suprà; in humiditate verò & siccitate temperata. Nimis calida absumunt, ideò cytisus donec floret lac auget, postea urit extinguitq;. Adversum calorem semina quatuor frigida majora, viola, nymphæa, & papaver censentur. Sal per accidens auget ovium lac; eò quòd dum sitiunt plus aquæ bibant: unde fit ut iis, quibus salis abundè est, jam fœtis distenta pendeant ubera.

2. Præter hæc, quæ ad ventriculi crasin spectant, quædam non à proprietate aliquâ huic amicâ, sed totâ substantiâ verè lacteâ lac augent. Hujusmodi sunt Cerebrum, Uberaanimantium lactantium, amygdala, eorumque emulsio, pinea & pistacea; quibus fortassis adjungi possunt caseus

caſeus recens, panis Martius, ova, uvæ paſſæ, vinum, edulium è ſeminibus lini, ſeſami & melle; ptiſana, puls ex ovis, butyro & ſaccharo Germanis uſitata; oryza cum lacte cocta, alimenta denique omnia facilis digeſtionis, bonum utique ac copioſum ſuccum in ſe continentia; quæ quidem, uti lac, ita carnem quoque augent & redintegrant.

3. Præterea, ſicut unumquodque (& ſpeciatim Lac, uti jam dictum eſt) à ſuo ſimili tanquam à causâ materiali foveri augerique oportet, ita rationi conſentaneum eſt ut in Efficiente pariter quidam activitatis ſtatuatur gradus, quem ſi exceſſerit, à temperamento rerum naturis debito degenerare etiam effectum neceſſe erit. Hinc à calore nativo, quique noſtro par ſit, is lactis proventus generabitur qui ad vitam tuendam optimè conducat; è contra verò quæ nimis calefaciunt & deſiccant, qualia ſunt acria, ſalſa, & acida, ipſum voracitate ſuâ depaſcunt & jejuno corpori gracilitatem obducunt. His, ob parilem effectum, accenſere licet morbum acutum & diuturnum, laborem, curas nimias, mœrorem, vigilias, terrorem denique & dolorem. Conceptus non deſtruit lac, ſed dulciorem ipſius partem aliò (ad fœtum ſcilicet) divertit: unde in mammis nihil manet præter quiddam ſeroſum,

ſeroſum, ſalſum & malè ſapidum; quâ de causâ prægnantem ſugens marcet torpeſcitque.

4. Quod ſi, vel præ cibi ſeu materiæ abundantiâ vel agentis ſeu coquentis efficaciâ, lac in ipſis redundaverit venis, eâ quoque copiâ ut, ſæpiùs licèt circumactum & calore nativo ſollicitatum, in ſanguinem verti non poſſit, ſed integram potiùs cui offunditur maſſam (quod non rarò fit) cruditate ſuâ inficiat, tunc, ſicut ullam omninò ordinatam eſſe ſuperflui iſtius noxiique humoris excernendi viam penitùs denegare, non eſſet profectò aliud quàm Naturam, quæ in neceſſariis nunquam deficit, erroris vel negligentiæ temerario auſu arguere; ita nullam ſanè corporis partem ad id munus exequendum aptiorem judicaverim quàm ipſum *Pancreas*. Primùm enim, eſſe prænobilem hanc glandulam vas Excretorium, apud omnes in confeſſo eſt; deinde licèt de humore quem evacuat non conſentiatur, potiùs tamen crediderim rationibus mox commemorandis quibus blandum eum eſſe atque anodynum ſuademur, quam Cl. *Sylvio de la boe*; ut qui vel ab animantibus eſu inutilibus ac proinde chylum mali guſtûs habentibus, vel à pancreatico morbo laborantibus extiſpicium ſuum ſæpenumerò deſumpſiſſe

mihi

mihi quidem videtur. Unde nil mirum ſi acidæ eſſe eum qualitatis autumaverit, cùm nihil manifeſtius ſit quam lac diutiùs in loco calido ſtagnans tandem aliquando aceſcere oportere.

5. Suadet autem mihi ſententiam hanc ad quam propendeo veram eſſe, quòd ipſa Pancreatis conſiſtentia nihil fanè videtur eſſe aliud, ſive oculos ſive guſtum conſulamus, quàm lac quoddam coagulatum: Quare, cum ratione maximè conſtet, unumquodque (ſi cætera adſint paria) ab humore intimè ipſum perlabente nutriri, erit humor ille qui per Pancreas ſerpit non alius certè quàm lacteus. Non me fugit objectari poſſe, tum Hepar bilioſum, tum Renes ſalſum excernere humorem, neque tamen vel illud amaritudine vel hoc ſalſedine infici; verùm ſub tam levi preſſurâ fortiùs inſurgo, atque imparitatem reperiri hîc multifariam vehementer contendo. Sunt namque Bilis atque Urina pertenui ſubſtantiâ, & per vaſa ſibi aſſignata prolapſu faciles: ſunt etiam purè excrementitiæ & ullius omninò partis nutritioni ineptæ; ſunt denique fœces quædam, ac proinde neque coaleſcendi neque partibus quas præterlapſu lambunt adhæreſcendi capaces. Quid quod ipſum quoque jecur, ipſique Renes ſint probè compacta ac denſa; Pancreas autem

autem rarum laxúmque: Quæ omnia, cùm manifeſtam innuant diſſimilitudinem, objectionis vim ſolâ ſimilitudine atque paritate nixam penitùs enervabunt. Hâc itaque ſublatâ patet nobis inoffenſus ad argumenta regreſſus.

6. Suadet hoc ipſum morbi Pancreatici origo, quam Ingluviem eſſe ſtatuunt rei medicæ conſultiſſimi viri. Ex ingluvie autem nimium Lactis exceſſum generari atque in venas profundi, omninò fatendum eſt; Cujus inſignis redundantia, cùm per Pancreas excerni debuiſſet, in majori tamen copiâ illuc deferatur quàm cui exonerandæ par ſit, ſuffocatur inde atque infarcitur; unde partis illius Tumor Morbúſque inſequi ſolent.

7. Suadet inſuper (ut dictum eſt) Aciditas illa quam in ſucco Pancreatico, dum morbus hic regnat, experimur; certiſſimum Lactis corrumpentis Indicium.

8. Suadet præterea quòd Icterus communis ſupervenire vel ſaltem augeri obſervetur quando Pancreas obſtruitur; quem morbum à Lacte vitiato ex parte oriri poſteà probabitur.

9. Suadet ulteriùs, tum eximii Viri Collegæ noſtri D. *Whartoni* judicium rationibus haud levis momenti fultum, humorem nempe Pancreaticum eſſe dulcem aut ſaltem inſipidum, craſſum, lenem

atque Anodynum, & denique pallidum; veriſimilia utique Liquoris Lactei indicia: Tum accuratiſſimi Anatomici D. *Gualteri Needham* hâc in re ſententia; qui, licèt in plurimis *Sylvio* concedat, *Pancreatis tamen ſuccum in ſtatu naturali aceſcere pernegat.* Tum denique ingenua Cl. *Graeffii* confeſſio § 65 (licèt is ſtrenuiſſimus *Sylvianæ* ſententiæ aſſertor fuerit) ſuccum *viz.* dictum non unam conſtanter temperiem obtinere, ſed modò hâc modò illâ imbutam eſſe qualitate; quod profectò uſum in quem deſtinari eum contendit, evertit penitùs ac peſſundat: Nam quàm immane (proh Philoſophiæ fidem!) à ſapientiſſimo Naturæ abhorret curſu, ut in unum aliquem conſtantémque ordinetur res quæpiam finem (ad chylum ſcilicet juſtæ animalis temperiei adaptandum) & tamen ipſamet in tot támque diverſis & pænè contrariis reperiatur temperamentis, ac proinde totidem etiam in chylo efficiendis, idonea ſit! Quantum à rectâ ratione diſſidet ponere ſuccum iſtum ſolâ aciditate ſuâ effectum hunc, qui conſtans atque uniformis eſſe debebat, præſtare, & tamen interim ſalſedinem, auſteritatem, qualitatéſque alias ab aciditate valdè diſcrepantes eidem concedere: Præterea, fingamus mente ſuccum prædictum eſſe conſtanter (uti debet) acidum; quem

quem, quæſo, effectum in chylo inteſtinali habiturus eſt? Faciet enimverò Lac illud in Serum & Caſeum diſſilire; unde fiet, ut, cùm hic fit inſigniter craſſus, nihil profectò ad animal nutriendum per venas deferetur Lacteas præter unum Serum, quod nutritioni omninò ineptum eſt, cùm omne alimentum (ut poſtea deducetur) à caſeosâ parte fiat. Quid quod, ſi hoc verum eſſet, erit ſanè Lac in ventriculo dulcius, in chyli autem receptaculo (poſtquam nimirum bile ac ſucco hoc acido conditum fuerit) vel acidum, vel certè amarum (parùm etenim bilis, quantitatem Lactis etiam permagnam amaritudine tingit) cujus tamen contrarium experimur; nam Lac muliebre in mammis perdulce eſt, nec quidquam excogitari poteſt quod, dum itur ad mammas, exutis amaritudine atque acore, ipſum denuò edulcandi virtutem habeat: Númquam itaque dulcedinem primævam amiſit, nunquam acido aliquo vel bilioſo humore commixtum fuit.

10. Quid itaque dicendum? Negandúmne ſuccum Pancreaticum (qualiſcunque demùm is fuerit) bilioſúmque in inteſtina per ductum communem deferri? Nequaquam; Negandum ſaltem, non commiſceri eos cum Lacte inteſtinali, ac proinde aliquam ibidem alterationem effecturos?

neque id licet, modò in eundem ſimul confluant locum. Nunquid tandem aſſerendum expectare Naturam horum in inteſtina evacuationem donec Chylus inde expreſſus fuerit? Malo etiam omine hoc prætexi poterit, niſi oſtendamus conceptacula à Naturâ præparata in quibus humores illi interea temporis detineantur. Et, reperiri quidem hujuſmodi vaſculum ad bilem hoſpitandam in promptu habemus; ad ſuccum verò Pancreatis recipiendum, non item. Quare, dicendum videtur inhibere Naturam effuſionem Bilis uſque dum Inteſtina optimâ ac laudabiliſſimâ Chyli portione vacent, quo facto in ductum defluit communem, ac comitem ſecum, ad malitiam ſuam commitigandam, quem in viâ reperit ſuccum deferre Pancreaticum: Succum autem hunc, cùm (ſi nativus, non autem morboſus fuerit) Lac ſit, ídque malè coctum ſi reſpexeris temperiem ſanguinis, ſin Lactis inteſtinalis, quiddam aliquantulùm excoctius, commiſceri proinde illum cum hoc, tum nè quid laudabile ac naturæ nutriendæ utile penitùs rejiciatur; tum forſan ut, ob cognationem aliquam quam cum ſanguine unde profectum eſt retinet, novi iſtius Lactis in eundem converſionem aliquo ſaltem gradu promoveat.

11. Utut hujuſce rei veritas ſit, quam (Tempo-

(Temporis utique filiam) in lucem brevi (ni fallor) datura eſt ætas, vel ſuccum hunc naturaliter eſſe acidum, vel, ſi acidus fuerit, ab eo tamen provenire poſſe effectum quem contendit, & cui pænè ſoli innititur doctrina Sylviana, nullo modo in animum inducere poſſumus. Atque utinam Cl. *Graeffius* qualem in ſingulis animantibus repererit Pancreatis ſuccum accuratiùs diſtinxiſſet: nam, cùm § 76. ad argumenta perventum eſt quibus dicti ſucci in hominibus aciditatem aſtruere conatur, video ipſum à quibuſvis indiſcriminatim Animantibus (iiſque forſan morboſis) ad Homines *ob conſimilem* (ut ait) *ferè omnium viſcerum & contentorum naturam*, craſsè nimis paritatem traducere; cùm, quicquid ſit de *viſceribus*, certè *contenta* ſeu humores in Canibus aliiſque eſu inutilibus longè diſparis eſſe naturæ guſtûſque, manifeſtum ſit; niſi enim hoc eſſet, quorſum à nobis pro cibis non uſurpantur? Quid quòd perdifficile eſt, etiam in iis quæ chymata ſunt, nôſſe an Chylum habeant ab omni penitùs vitio immunem; quod niſi contingat, variatio in ſucco Pancreatico ſequatur neceſſe erit; cùm nihil alteratu facilius ſit quam Lac in vaſis, ob partium quas continet diverſitatem ac Caloris in Sanguine Spirituoſi activitatem. Ructum autem acidum,

quem allegat, à corrupto Lacte provenire jam oſtenditur. Verùm hæc ad inſtitutum noſtrum ſatis ſunto; cùm Sententiam hanc obiter tantùm, datâ occaſione, perſtringere, non autem plenè evertere nobis impræſentiarum propoſitum ſit.

12. Nequaquam tamen omittendum eſt, (quò *Sylvianæ* ſententiæ, quatenus Salivam ad Digeſtionem concurrere (& rectè quidem) ſtatuit, lucem ſaltem aliquam accommodem) quod ipſimet ſæpiſſimè oculis vidimus, Incolas nimirùm *Guianæ* Potum ei genti peculiarem conficere volentes, quaſdam è radicibus Caſſavi placentas aquâ primùm macerandas infundere: dein earum alias à mulieribus pueriſque bene maſticatas, & cum Salivâ probè commixtas eidem vaſi indere; quo facto æſtuat ebullitque Miſtura illa haud ſecùs quam apud noſtrates Zythus cernitur, quando à ſpumeo illo Cerviſiæ flore injecto fermentare ſolet; è quo profectò experimento conſtare poterit tum Salivam ſpirituoſis partibus fœtam eſſe, tum ad Lactis in ventriculo (& forſan Inteſtinis) elaborationem, aliquâ ex parte fermentando conducere.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De præternaturali Lactis, tam in ventriculo quam in inteſtinis, alteratione, ejuſdémque effectibus.

1. NIhil adeò utile aut perfectum eſt quin ſtatu dilabi, & corrumpi poſſit. Conſiderandum itaque proximè venit quot modis vitietur Lac, quot item morbi, quibúſve de cauſis à vitiato producantur.

2. Peractâ digeſtione, ſi coctum & Potulentum diutius in ventriculo detineantur, neceſſe eſt ut aceſcant; eodem prorſus modo quo, in nimis continuato æſtatis ardore, alia quamplurima. Hanc ob cauſam pinguia, caſeoſa, mellita & ex Seſamo edulia parata, quæ multum nutrimenti in ſe continent (quâ de cauſâ è ventriculo lentiùs excedunt) ructum acidum creant. Et, licèt ab alimentis dum coquuntur in ventriculo exhalatio quædam emittatur acida, ad ructum tamen non pervenit niſi præter naturam Pylorus ſit occluſus. Hinc Lientericis Ructus acidus pro bono habetur ſigno; Innuit ſiquidem, ventriculum priſtinam retinendi cìbi vim de integro recuperare, ſolitúmq;

redire denuò Pylori robur ad malè cocta in Stomachi officinâ ſiſtenda, nè debito citiùs elabantur. Et, licèt diffiteri non poſſum, ad aciditatem aliquâ ex parte concurrere etiam frigida, ut quæ rei fluidæ probè mixtæ atque excoctæ compagem relaxent ſolvántque; tamen, cùm ab experientiâ hauſerimus à Spirituum evaporatione fieri Acorem, idcircò Calori utpote Poros mixti aperienti, & viam Spiritibus quâ evolent patefacienti, qualitatis iſtius generatio omninò referenda eſt.

3. Enitendum eſt igitur nè, ex labe coctionis primæ, ſecunda quoque deterior evadat. Ex nimiâ ſiquidem in ventriculo aciditate innumeri fiunt morbi nervoſo generi maximè contrarii; quales ſunt dolor Capitis, Epilepſia, & paſſio Hyſterica: Iis enim qui hujuſmodi malis laborant nocumento ſunt non modò Acida, verùm etiam quæcunque ex corruptione in Acorem verti nata ſunt. Enimverò graviora non rarò Symptomata morbíque ex qualitate iſtâ quam ex amaritie & ſalſedine proveniunt; eò quòd apta à naturâ conſtituantur inſtrumenta ad amara & ſalſa tum excipienda, tum excernenda; ob quorum defectum diutius in Corpore manent Acida, & non niſi vi & per accidens inde excutiuntur; Licèt

conce-

concedendum ſit ea nonnunquam ex amareſcente totius Corporis temperie in utiliorem tandem qualitatem provehi.

4. Roget quiſpiam; Si tot affectus mali ab Acidis ventriculo accidant, quî fit ut ab eiſdem Appetitus excitetur? Eodem nempe modo quo eadem febribus proſunt; facultate, ſcilicet, quâdam partes penetrandi, indéque profundè inhæreſcentem atque orexim obtundentem abſtergendi viſciditatem.

5. Ructus Nideroſus & Amarus ab Acido in eo unicè differunt, quòd illi à butyroſâ Lactis parte exuſtâ fiant, hic verò à ſeroſâ vel caſeosâ; unde contingit, oleagina omnia iſtos aut augere aut inducere.

6. Hactenus de Effectibus illis quæ à Lacte, intra ventriculum corrupto, motu quodam erumpunt; ſuccedit ordine tractare etiam de iis, ſi qui ſint, qui in Inteſtinis ex diutinâ putreſcentis Lactis morâ manant, & in ſolidam quandam coeunt ſubſtantiam. Hujuſmodi ſunt Lumbrici. Nam, cùm Corruptione omnia in pejus ruant, idcircò Alimentum, quod ad nobiliorem effectum, Humanum ſcilicet corpus inſtaurandum, ex Naturæ Intento datum fuit, idem labaſcens ac in ſordes degenerans, Animal quoddam imperfectum ac formæ rudioris generatione

tione æquivocâ efficit. Videtur autem Lumbricus in procreatione ſuâ Ructum imitari acidum, diſtare verò tantùm putreſcendi gradu ac modo; licèt hic à ventriculi ore inferiore nimis aſtricto proveniat, ille à Lacteis obſtructis, debilibus aut anguſtis; Sæpiuſculè autem halitum acidum & ventris tumorem vel tanquam ſigna vel comites adjunctos habet.

7. Quia tamen inter Vermes & Lumbricos analogia quædam eſt, & faciliùs capimus ea quæ oculis conſpicienda propoſuit Natura, idcircò ex obſervatione quænam ſit materia diſpoſita & ferax ad illos producendos, horum quoque cauſam materialem optimè expiſcari licebit. Inveniuntur Vermes in fimo & cœno, in carne corruptâ, nucibus, & omni ferè fructuum genere; in Caſeo Parmenſi vino addito, in caſeo item pingui non debitè preſſo: E quorum omnium enumeratione, conſtat pinguedinem, viſciditatem, humiditatem, calorem & putredinem ad Verminationem concurrere. Cùm itaque in Lacte intra inteſtina putreſcente ſtercoréque, admiſto, omnes hæ reperiantur cauſæ, nequaquam defuturos ibi proprios earum effectus nobis vel invitis fatendum eſt. Eſt præterea Lumbricus animal membranaceum; nec mirum, cùm

cùm enim (ut infra dicetur) caſeoſa lactis pars ad totum corpus cute veſtiendum ſufficiat, non dubitandum eſt nè ad animalcula pelle induenda non ſit ſatis. Notatu porrò dignum eſt, ea quæ Lac minuunt, ut acria, ſalſa, acida, & amara Lumbricos etiam enecare. Ad eoſdem extirpandos ſæpiſſimè adhibetur Mercurius, qui reſolvendo & quaſi enervando partium vigorem eos occîdit. Nam cùm alimentum in ſingulas eorum partes motu periſtaltico devehatur, hoc ceſſante vitam quoque unà ceſſare ipſam neceſſe eſt.

8. Generantur autem Lumbrici in quolibet ſexu & ætate ſicubi debita materia & obſtructio viguerit; in pueris præcipuè, juvenibus non rarò, ſenibus quoque aliquando; ſed maximè in mulieribus iis quibus ſubbilioſæ materiæ vomitus extra conceptionis tempus contigerit.

SECTIO SECUNDA.

De præternaturali Lactis in aliis corporis partibus alteratione, déque effectibus inde natis.

1. EXpeditâ jam Lactis, dum amplioribus receptaculis hæret, alteratione,

tione, effectibúſque inde ſecutis; quales etiam patiatur, dum arctiorem ſubit locum, proximè diſpiciendum eſt. A Scrophulâ ordiemur; in quo quidem morbo licèt ad collum & tonſillas protrudantur glandulæ morboſæ, earum tamen caput & origo in Meſenterio reconditur: dum enim Lac, quod in hoc morbo craſſius eſt, tardiùs debito illud perlabitur, eſt proinde ad glandulas has præternaturales generandas aptum. Craſſius autem fit Lac à cibo ſicco & calore, qui humiditatem abſumit; item à coagulatione, quam acritudo, ſalſedo & aciditas inducunt: patefactâ interim à Calore portâ quà inimicæ iſtæ qualitates intimiùs penetrent. Quo modo ſpiſſius aſtrictiúſque evadat Lac à Scrofæ naturâ victúque petenda eſt ratio; à quâ etiam ipſa morbi denominatio ſumitur; eò quòd Sus duntaxat è cunctis animantibus grandine laborat, cùm ſanguinem ſpiſſiorem, Lac item cæteris craſſius habeat. Hinc duplici morbo, *Rancedine*, ſcilicet, & *Strumâ* laborat: quorum illâ quamlibet corporis partem, fauces præcipuè ac maxillas, inflammante, putreſcit protinùs membrum, & Ulcus (Gangrænæ inſtar) ſerpit, donec ad Pulmonem devenerit; quo tacto, mors ſequitur. Ex alterâ (Strumâ ſcilicet) dolor Capitis & gravedo

gravedo proveniunt, in pedibus poſterioribus imbecillitas & vacillatio, & tandem nullis herbis medicabile ſupervenit alvi profluvium. Hæc mala accidunt Suibus dum glandes, magis copioſum aſtrictúmque Lac præbere aptas, comedunt; & quò uberiori harum copiâ onerantur patulæ Jovis arbores, eò crudeliùs inter Porcos ſævit affectus iſte.

2. Haud aliter inter Humanum genus res geritur, quoad hunc morbum; In ætate namque puerili ac juvenili, quo tempore vires ac calor maximè vigent conficitúrque abundantiùs nutrimentum, generatur *Scrofula*: unde citiùs tempeſtate iſtâ morborum feraciſſimâ in pejus alterari ſolet. Hinc Strumæ enaſcuntur à quarto uſque ad quadrageſimum vitæ annum: Tuberculæ enim iſtæ per ſucci Lactei (ut ita dicam) Caſeationem fiunt; exiccato ſeu per exhalationem diſſipato Sero. A Caſeoſâ etiam parte per calorem incraſſatâ obducuntur Cuticulâ. A modicâ denique humoris affluentiâ, ſeu veriùs eruptione è receſſibus ubi antè delituerat, novíque appulſu, efformantur vaſa. Hæc enim nihil aliud videntur eſſe quàm præterlabentis humoris iſtius partes magis glutinoſæ, adhæreſcentes ambienti corpori atque in parietes quoſdam coaleſcentes.

3. Sicut

3. Sicut inter nutritum & nutriendum quædam (ut dictum est) datur proportio & similitudo, sic etiam viarum per quas ad partes reficiendas augendásve defertur nutrimentum determinata quædam datur capacitas. Hinc fit ut Lac in primâ coctione spissius factum in exiles partes quas reficere debuerat se insinuare nequit, sed in humidiores ac laxiores congeritur; in quibus propterea tum naturales, tum præternaturales glandulæ sedem sortiuntur.

4. Si verò Lacteæ adeò obstructæ fuerint ut nutrimenti satis in Corpus devehi nequeat, sed plus æquo in Intestinis detineatur; Lienteria, appetitûs dejectio, totius denique corporis Atrophia insequuntur.

5. Proximè, à Crassitie læditur pulmo; quâ de causâ ab esu nucum aliorúmque succum spissum præbentium fit *Dyspnœa*: Idem contingit ab usu Lactis nimio & intempestivo, præsertim si meracum fuerit. Hunc ut præcaveamus affectum, à dicto vulgari (si sano illud sensu accipiamus) monemur; *Oportere*, scilicet, *diu vivere desiderantem, Lac ab Hepate bibendo abluere*: Pulmone potiùs dixerim; non enim metuendum est ne in *Hepate* hæreat, ut falsò autumabant Antiqui, sed tantùm in Pulmone, ubi spirandi difficultatem

tatem cauſare ſolet. Hinc Animalia pulmones habentia & perfectiora & calidiora ſunt, multúmque bibunt quò Chylus fiat probè dilutus, nè in aliquâ parte (hâc verò præſertim) viſci inſtar hæreat; hâc etenim per infarctum læsâ omnia totius corporis compatiuntur membra.

6. Puellulas quaſdam & fœminas cachecticas fluore albo laborantes (unde reddere ſolent urinam tenuem & aquoſam ſedimento albo, grumoſo & divulſo, quale Lactantibus iis uſu venit quæ per urinam excernunt Lac, ſupernatantem) ultra primum coctionis gradum parùm promovere conſtat: Unde, à chalybis uſu ob Salem, quo quidem eóque valde ſpirituoſo ſeu calido abundat metallum illud excoctiſſimum, ad debitum ſanguinis vigorem reſtituendæ ſunt.

7. Porrò ex Lacte copioſo craſsóque ob diſtributionem impeditam fiunt in infantibus Convulſiones: Idem in Nutricum mammis adeò dureſcit aliquando, ut in Lapidem concreſcat.

SECTIO

SECTIO QUINTA.

De Lactis ritè miniſtrati Utilitatibus.

1. COmpertum eſt, quò laxiori & ſucculentiori habitu eſt Corpus, eò carnoſius & pinguius effici; è contra verò, ſi quando, à calore præternaturali, ejus partes humiditate, nutrimenti utique vehiculo, deſtituantur, diuturnitate temporis exareſcunt, totúmque unà marceſcit Corpus. Quod damnum ut commodè reparetur, Lacte alieno reficiendi ſunt: Quia vero hujus adminiſtrandi modus jamdudum exolevit, idcircò, ut Antiquorum (quoad licet) revocemus methodum, faciliúſque capiamus, cujus generis, quantum, quale (merum, ſcilicet, an mixtum), quibus denique Lac porrexerunt, veſtigiis quæ nobis reliquit *Hippocrates* inſiſtemus.

2. Hoc itaque in primis notandum eſt, Lacti & Sero omnes ineſſe medendi intentiones, quæ adeò apud *Cnidios* percrebuerunt Medicos, ut, aliis quibuſcunque relictis Pharmacis, in omnibus morborum generibus in quibus Purgatione, Alteratione, aut Nutritione opus eſſet, hiſce ſolummodo uſi ſint.

3. Purga-

3. Purgationem quod attinet, quia quod Tenue eſt faciliùs effluit, ideò ad alvum ſolvendam frequentiùs dari ſolet Aſininum; facultas iſta ſolutiva augetur Mulſâ; quò meliùs abſtergeat, miſcetur Muriâ; nè ventriculum laxando lædat, vinum additur; quò refrigerio & humectatione febricitanti magis conveniat, temperatur aquâ; quò minuatur purgandi vis ſimúlque roborentur Inteſtina, coctum propinatur, imò, ad Congium uſque, ſi vires conſtent, ingurgitatur: Citò enim è ventriculo excedit, ſecúmque noxios humores abripit; propterea Hypochondriacis, Febricitantibus, Siticuloſis, bilem in febre excernentibus, ſanguinem denique fundentibus adhibetur. Unde * Aphoriſmus ille quibuſdam in morbis prohibens Lactis uſum, ad purgationem non pertinet. Nam, quando Caput ulceribus ſcatet & crura intumeſcunt, adeò ut preſſa colorem Morbi Regii referant, aliáque ulcera mali moris febre, inflammatione, & auribus purulentis comitata, per varias corporis partes ſerpunt, poſt Vomitum & Capitis purgationem *Hippocrates*, præterquam in æſtate, Sero ad deorſum purgandum, tunc verò temporis Lacte uſus eſt. Idem in Vertigine, Aphoniâ, Capitis gravedine, Convulſione, Epilepſiâ, Paraplexiâ à nigræbilis & acrium

* 64. l. 5.

humorum affluxu (quo Sanguis corrumpitur occluduntúrque viæ, quâ Spiritus tranſeant, à Naturâ ordinatæ) poſt fomenta, venæ ſectionem & vomitum, Aſininum Lac coctum miniſtrandum docet: nec minus præſcripſit quàm Cotylas duodecim; imò, ubi ſuppetebant vires, pluſquam ſedecim.

4. Coctum convenit tum Lac, um Serum, quotieſcunque purgare, partes firmare, aut motum humorum compeſcere in omnibus Catarrhis & Fluxibus, fert animus; Crudum verò, quandocunque laxare, humectare aut alvum fluidam ſervare expedit. In Cauſo, ex labore & nimiâ laſſitudine orto, ſi lingua aſpera, ſicca & nigra, vel os amarum fuerit, vomitus & alvi ſublutio proſunt; quòdſi iſtis non ſolvatur morbus, tum demùm Lacte Aſinino cocto purgandum eſt. In Febre quotidianâ è bile natâ cùm ad imum ventrem tormen irruit, ut & in febre Interficiente & Uteri Eryſipelate, Lac & Serum haud parùm adjuvant. Quibus Hepar & Lien non ſunt à nativitate debilia, tumeant licèt ea doleántque, in Hydrope, ab Hepate pituitâ infarcto, vel à Liene, ex immodico fructuum nondum maturorum eſu tumido & dolente, in morbo item Hepatico ab atrâ bile, in febre à Lochiis corruptis, in Hæmorrhagâ

rhagiâ narium, vomitione Sanguinis, uteri aſcenſu & ſtrangulatione, albo fluore cum Febre, Dyſenteriâ, Cholerâ ſiccâ; In his, inquam, omnibus morbis, aliiſque pænè innumeris, varia Lactis genera variè pro ratione circumſtantiarum temperata propinare ſolebat. Ad inſtitutum noſtrum ſufficit, paucos eóſque præcipuos è multis adnotâſſe Caſus, quò tum Antiquorum in præſcribendo Lacte conſuetudo, tum ipſius Lactis in purgando Utilitates innoteſcant; nunc commoda ejuſdem *in alterando* pari conatu perſequenda ſunt.

5. Et quamvis Alterationem cum Purgatione non rarò conjunxerit *Hippocrates*, tamen, ut emolumenti quod ab illâ ritè adminiſtratâ provenit compotes ſimus, Leges quas in hâc re ſtatuit is, ſervare oportebit. Cùm itaque omnis Mutatio ſit victoria quædam de re mutatâ, nulla profectò dari poteſt Mutatio niſi à fortiori; quare, quanto frigiditas & humiditas cedunt in agendo caliditati & ſiccitati, tanto diutiùs qualitatum illarum viribus inferiorum continuandus eſt uſus; ut, quod præ virtutis imbecillitate uno quaſi ictu præſtare non valebant, diuturnitate ſaltem temporis tandem conſequantur. Cotylæ Lactis duæ quas præſcripſit *Hippocrates* nequaquam humorum, ſi ad in-

vicem conferantur, totiúſque Corporis molem exæquare comperientur, ſepoſito minùs efficaci ejuſdem in agendo robore; Semel itaque tantùm adhibitæ impares omninò ſunt ad Corporis temperamentum ab alieno in naturale revocandum: quare multiplicandæ ſunt, & ſæpiuſculè repetendæ, debitúſque religiosè obſervandus eſt modus, quò intentum conſequantur effectum. Etenim, cùm corporis partes ferè omnes morbo debilitatæ ſint, ſibíque invicem compatiantur, eâ profectò quantitate propinandum eſt, ut neque præ nimiâ ejus copiâ gravetur ventriculus, neque per alvum illud exoneret: Cavendum quoque ut ſit ſubſtantiæ mediocris quò faciliùs diſtribuatur, & ad Acrimoniam edulcandam aptius. Porrò, dum potatur, tenui victu utendum eſt, nè ex diuturnâ in ventriculo morâ aceſcat vel corrumpatur. Loco autem Prandii ſumendum eſt; à Cœnâ verò temperandum donec peccans corrigatur humor, ardórque extinguatur: Denique ab Aphoriſmo illo antè citato in univerſum monemur quibus in morbis non conveniat per Lac alteratio. Singularis verò erat caſus *Clonigi*, Dyſenterici & Nephritici qui ulcere in Renibus meatibúſq; urinæ laborans, lactis Caprini refrigerio, addita quintâ aquæ parte, ſanatus eſt. Epid. l. 7.

6. Conduci-

6. Conducibilius autem noſtro videtur propoſito, ſingulos quibus Lac prodeſt morbos enumerando breviter percurrere; nè tam ſcribenti quàm legenti prolixior de ſingulis enarratio moleſta ſit. Prodeſt itaque ad abluendam & attemperandam Acrimoniam poſt purgationem; uti etiam in Podagrâ, Rheumatiſmo, Ptyaliſmo eo quem febricula comitatur; necnon in altero poſt Aphthas atque in Febris declinatione humorum impetum optimè compeſcit; Salutiferum quoque eſt in tuſſi, urinæ ardore, mictione purulentâ & arenosâ, faucium inflammatione, Dyſpnœâ cum ſputo Sanguinis, Scabie ferâ, ulcere fiſtuloſo; in omnibus item morbis in quibus ſeroſa & caſeoſa Lactis pars calore inſpiſſatur aut acris redditur.

7. Valet etiam adverſus herbam Apollinarem, Leporem marinum, Dorycnium, Bupreſtes, Cantharides, Ceruſſam, Euphorbium, Arſenicum, Chamæleonta nigrum, Colchicum, & cætera id genus venena: Hæc quidem, cùm Cauſtica ſint, operationem ignis, aliorúmque Calidorum, magnâ ex parte referunt: In hoc autem diſcriminantur primò, quod citiùs reliquis operentur, imo eâ celeritate ut nonnullis captum Humanum ſuperare videantur; deinde, quòd peracutâ quâdam partium inæqualitate ac duritie

prædita ſint, unde obvia quæque vexant & lacerant; hinc corrodendo vaſa perrumpunt, quo facto Sanguis in receptacula non ſua evagatur, ibique ſtagnans partes illas, haud ſecùs quàm in Contuſione fieri ſolet, livore aut nigredine inficit, eaſdémque tandem, ob novi Sanguinis defectum Calorem & Spiritum ſuppeditantis, obrigeſcere atque emori facit. Quâ itaque ratione Lac ob terrenam quandam viſciditatem cum blandâ humiditate conjunctam citiùs quam aqua ignem extinguere cognoſcitur, pari prorſus modo, eaſdémque propemodùm ob cauſas, de virtute ejuſdem contra iſtiuſmodi venena philoſophandum eſt.

8. Reſtat Lactis Nutritiva ſive Reſtaurativa facultas, quæ in craſſiſſimo (bubulo, ſcilicet, ovino aut caprino) potiſſimùm invenitur. Ex Conſumptione enim carnis & organorum coquentium læſione, varii neceſſariò ſuppullulant morbi, donec tandem, viribus totius corporis penitùs labefactatis, pænè ad primævam infantium impotentiam redigantur infirmi; Convenit itaque eos ab eodem reparari nutrimento à quo in ſtatu imbecilliori olim adoleverant. Hinc *Diocles* convaleſcentes omnes Lacte recreare ſolitus eſt; Hecticis etiam ſalutem adfert: Neutiquam tamen interim tacendus eſt error quorundam

quorundam Noſtratium Lac Aſininum etiam Phthiſicis adminiſtrantium; quibus certè jam macie confectis & ulcere pulmonis ſanioſo (quod ſiccare oportebat) laborantibus præ nimiâ tenuitate nequaquam congruit; Verùm optabilius forſan judicant amicorum conſilio & obſequio perire eos, quos Medicorum ope reſtitui poſſe diffidunt. Iis qui diuturnis lentíſque laborant febribus Lactis uſus non parùm prodeſt, nec minùs Luę venereâ extenuatis & tabem dorſalem patientibus. Ægyptii macie deploratos, emulſionibus & Lacte tum in potu tum balneo exhibito, ad priſtinam non modò ſanitatem ſed pinguedinem quoque revocare ſoliti ſunt. Nec tantùm quoad interiorem corporis habitum juventutem ſervat deperditámve inſtaurat, verùm exteriùs etiam eidem conſulit, dum rugas, ſenii Indices, impedit, imò tollit. Hinc *Poppæa*, *Neronis* uxor, centum Aſinas nutriebat in quotidianum balnei uſum, eo fine ut candorem, lævitatem ac mollitiem cutis, in quibus inſidet ætatis flos ac honor, ab injuriâ temporis illibata ſervaret.

9. Notandum verò, *Hippocratem* ad febricitantes in æſtate purgandos nunquam Serum adhibuiſſe, ob ſalſedinem, quam tunc temporis præ caloris pabulum exurentis vehementiâ in ſe continet; at

ſæpiſſimè Vere, Autumno & Hyeme; præcipuè verò omnium, in morbis frigidis.

10. Coagulum quod attinet, quò vetuſtiùs, eò magis aceſcit atque efficacius eſt. Adhibetur autem ad quemcunque Sanguinis & Alvi ſiſtendum fluxum; quod quidem partim Inteſtina conſtringendo, partim caſeoſam Lactis in venis partem inſpiſſando coagulandóque, ipſum efficere, vero non abſimile eſt.

Hactenùs de Lacte in *communi*, ac ſpecialiùs de *alieno*: Jam de *noſtro*; quem quidem Primæ coctionis eſſe Terminum, ſeu effectum, ac proinde Secundæ adæquatum ſubjectum, hoc eſt, *immediatam atque integram Sanguinis Materiam* inde convincitur, tum quòd ſi intempeſtivè ſeu mox à digeſtione celebretur Phlebotomia, Lac ſimul cum Sanguine effluere experiamur; tum ex Lacte in mammis, quod non intra venas elaborari certum eſt; cùm, ſi aſſimiletur Sanguini, dulcedinem amittat; tum denique ex ipſâ αὐτοψίᾳ in vivâ diſſectione Felis aut Canis, *Pecquetti* More factâ.

Partes autem Lactis tres omninò ſtatuimus: *Pinguem*, ſcilicet, ſeu *butyroſam*; è quâ fiunt Spiritus, Fumus, & Bilis, *Seroſam*, è quâ oriuntur Humectatio, Flatus, Tranſpiratio

Transpirationis insensibilis major pars, Sudor & Urina: *Caseosam* deniq; unde Nutrimentum Fibræ, Ossa, Saliva, Mucus, Cutis & omnes partes Spermaticæ, necnon Sanguis propriè dictus. His munere ritè fungentibus, Sanitas; aliter Dyscrasia, humorúmque Confusio, ruptis veluti repagulis, sanam Corporis temperiem invadunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Pinguedine ejúsque Speciebus ac Effectibus.

CUm ex Boum Naturâ conficiendíque seu coagulandi modo, *Butyrum* suam mutuetur nomenclaturam, ac proinde Significatu suo non adeò latè pateat ut integram subjecti, de quo tractatum in præsens instituimus, naturam comprehendat; dandam speramus ab æquis Lectoribus veniam, si ejus loco vox haud multùm absimilis, *Pinguedo* viz. substituatur.

De quâ non immeritò primò dicendum est, quia oculis prima omnium subjicitur, dum cæteris supernatat & sursum tendit, perinde ac si indolis Nobilitate cæteras antecellat; atque ob Raritatem, quæ in Physicâ æstimatione Eminentiam quandam

quandam denotat, facilius diſſipatur atque in aërem vaneſcens oculos fugit. Sed, nè Intellectui pariter ob ſubtilitatem illudat, Definitione, tanquam injectâ compede, conſtringenda eſt.

Eſt itaque Pingue Calidum & Humidum cum lentore ex Denſo & Raro optimè mixtis. Opacitas & aliqualis Tenacitas, quibus gaudet, indicant nonnihil Terreæ Naturæ admixtum; hæc enim terminat viſum, nec eſt uſquequaque diviſibilis ſeu ſeparabilis; Lævitas ſeu æquabilitas moleculas illas Terræ (quas ineſſe diximus) valdè minutas eſſe demonſtrat; quas cùm eò exiguitatis, niſi ab Agente illo quo nullus alius in totius Naturæ officinâ potentiùs aut ſubtiliùs dividere natus eſt, Igne, ſcilicet, pervenire nequeant eóque, ut ex jugi partium tenore patet, ubivis copiosè impacto, plurimùm proinde Ignis in eo detineri atque in cellulis ejuſdem incarcerari dubitare non licet. Ex humiditate aëream Naturam redolente, tum continuationem, tum fluiditatem ſeu ductilitatem partium naſci oportet. Parùm verò admodùm terrenæ Naturæ præ cæteris ipſius compoſitionem ingredi, argumento eſt, quòd, ſi quando Ignis ope diſcludantur ejus partes, nihil omninò cineris reliquum conſpiciatur. Nil autem fermè continere eam Aquæ, præter

præter alia, argumento eſt, quòd ab omni penitùs cum eâ commixtione quàm maximè abhorreat.

SECTIO PRIMA.

De Pinguedine in Non-viventibus.

1. POrrò, cùm ex definitione *Pinguis* intelligatur ſignificatum ipſius non ſolùm Unctuoſitatem, verùm etiam Dulcedinem, Suaveolentiam, cæteráſque id genus qualitates complecti; hinc fit, ut in triplex genus, pro triplici genere Non-viventium, Vegetantium & Animantium, diſterminetur Pinguedo. Harum autem omnium prima eſt illa quæ in Non-viventibus, præcipuè autem in Telluris, communis omnium Parentis, gremio reperitur; unde in vegetabilia tranſumitur, indéque in Animalia. Quicquid igitur in vegetantibus cernitur, ſive guſtui jucundum, ſive Spiritibus reficiendi utile, id omne Pinguedini Terreſtri acceptum referendum eſt; in quâ etiam inſidet diſpoſitio illa, quam *Fertilitatem* appellamus.

2. Ea autem hoc modo fit: Agit Sol in Tellurem prope ſuperficiem, ubi ob ſubſidentem humorem tenerioris eſt indolis.

dolis. Hanc immiſſo radiorum innumerabilium, veluti ſpiculorum totidem ſubtiliſſimorum, quodam quaſi Fluvio in minutiſſimas primò ſecat partes; quas cum Aquâ, Aere, Séque ipſo miſcens remiſcensque, eas tandem probè ſubactas perenni fluxu à radicibus, per truncum & caulem, in ramos, frondes & fructus evocat; evocatas paulatim denſat; tandémq; maturatas ad fines à Naturâ ſtatutos promovet. Ad hoc autem Solis Virtus peculiaris, non parùm videtur prodeſſe: Cujus juge incendium à biruminoſæ Materiæ (ut veriſimiliter conjectare licet) pabulo factum, eandémque radiorum vehiculo longè latéque effundens, Terram fœcundat; eo pænè modo, quo *Veſuvii* flammæ uberiùs erumpentes ſubjacentia impinguant arva.

3. Ex modò dictis patet ratio, cur Cerealia, Vina, omnia denique quæ è pinguiore glebâ germinant, Spiritum inflammabilem habeant; unde ſicut Palato & Naribus, ita Cerebro quoque grata ſunt; in quod dum è toto corpore ſubvolat unctuoſa ſeu ſpirituoſa iſta exhalatio, ipſum (ut poſtea probabitur) eâdem delibutum ac pænè obſeſſum, in quietem illam ſeu ceſſationem à functionibus conjicit quam *Somnum* vocamus; unde etiam jucundiſſima illa oritur ſenſatio, quam partim

partim mox à ſomno nos percepiſſe recordamur, partim quoque vel inter dormiendum percipimus; ex lenocinio ſcilicet gratiſſimo fumi iſtius, blandis ulnis Cerebrum undique amplexantis, leníque veluti palpo illud, quò Soporem provocet, permulcentis.

4. Patet etiam cur quæcunque herbæ oleoſum copioſè imbibant Suecum, Tellurem ſterileſcere faciant: unde *Virgilius*

Urit enim lini campum ſeges, urit avena;
Urunt lethæo perfuſa papavera ſomno.

5. Patet præterea, quare Cometæ aliqualem in locis quibuſdam cauſare Sterilitatem ſoliti ſunt. Quicquid enim de illorum naturâ ſit (quam perſcrutari non eſt noſtri inſtituti) hoc certè dici debet, nequaquam coaleſcere potuiſſe tam ingentia corpora, niſi particulæ quibus conſtabant oleaginoſæ ſeu unctuoſæ eſſent. Cùm enim omnis Cohæſio vel à ratione Quantitatis in genere ſeu *Continuitatis*, quæ toti rerum univerſitati communis eſt; aut ſaltem hujus vel *talis* quantitatis, ejus nimirum quæ præ exiguitate diviſionem difficulter aut non omninò admittit; vel ratione *Qualitatis* cujuſdam quæ profectò non alia eſſe poteſt quàm unctuoſitas (hæc enim ferè craſſioris generis demixtorum commune eſt gluten,

unde

unde oleum è quovis pænè mixto extrahi ſolet) ; & minimorum *figuris* Naturæ texturam tribuere, eſſet profectò craſsè nimis philoſophari, & mille abſurda intérque ea *Vacui*, hoc eſt, *Nihili* poſitionem poſt ſe trahit : certè concipi non poteſt moles adeò vaſtas ſolâ minimarum particularum appoſitione ubiq; cohærere: neceſſe eſt itaque ut à Qualitatis iſtius ſeu corpuſculorum oleoſorum ubivis immiſtorum ope, in conſiſtentiam illam quâ fruuntur, coeant. Quid quòd radii Solares, ſi quas alias moleculas, certè unctuoſas, ſibi nempe reflectentibus præ cæteris quibuſcunque particulis mixtis adhærere aptiſſimas, magnâ copiâ in Aerem evehant & ubique fundant ; unde in Fulmine & omnibus pænè Meteoris qualitatis hujus naturam effectúſq; experimur. Plurimum itaque olei in viſceribus ſuis ubivis concludunt Cometæ ; unde fit ut brevi diſſolvantur, quod quidem ſive contingat eò quòd ignem facile concipiat aptiſſimus ille fomes, ſicque ſit Cometes —— *ſuus ipſe rogus* ; ſive (quando lumen tantùm reflectit, non autem gignit) ex eliquatione glutinis illius quibus ipſius partes antè cohærebant; hoc certè dicendum videtur nequaquam adeò ὀξύμορον eum eſſe potuiſſe ſi terrâ macilentiori, qualis noſtra eſt, conſtitiſſet,

ſtitiſſet, & non plurimum pinguedinis in ſe habuiſſet; quæ cùm è Telluris ſuperficie à deprædante Solis jubare furtivè ſublata ſit, nil mirum ſi ſolito minus relictum, ſterilitáſq; inde aliqualis ſecuta fuerit.

6. Eundem ſuo gradu ſortitur effectum Eclipſis Solaris, minori licèt diſpendio: Dum enim avertuntur ab aliquibus locis radii ipſius intercipiuntúrque, ceſſare ibi aliquatenùs motum rerum generationi neceſſarium, fœcunditatémque proinde minui neceſſe eſt.

7. Patet denique cur nimia etiam humiditas ſterilitatem inducat; cùm enim ex hâc dilutior fiat Succus unctuoſus, flacceſcit enervatúrque ipſius vis ſeu calor nativus, imò extinguitur tandem, ac veluti obruitur. Eandem propè ob Cauſam diutinum & violentum Frigus damnum quoque affert. Sterilitatis cauſas fuſiùs quam pro re natâ fortaſſe proſecutus ſum; eò autem id feci, quòd harum cognitionem, ad Peſtis naturam causáſque dignoſcendas, plurimùm collaturam exiſtimaverim.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Dulcedine, nonnulliſque aliis qualitatibus per quas ad ipſam acceſſus, receſſuſve ab eâ fit.

1. PORRÒ, cùm *Dulcedo* ſit Pinguedinis, prout à nobis accipitur, quædam quaſi pars, eáque non parvi nominis, ipſius proinde naturam usúmque explorare ac jucundiſſimæ iſtius qualitatis conſideratione mentem oblectare neque ingratum neque intempeſtivum futurum eſt. Definimus autem Dulce eſſe quiddam ex humido aqueo & ſicco terreo probè concoctum in ſubſtantiam oleoſam, mollem, æquabilem, optimèque Organo guſtûs attemperatam. De hoc primò obſervandum, quòd, cùm res è Tellure naſcentes variis imbutæ ſint Saporibus, iiſque pro indole Soli, cui originem debent, diverſis, Dulcia è terrâ bituminosâ pænè ſemper oriantur; ut patet in Saccharo, quod, eam ob cauſam, dum in Cannarum ſegete adhuc ſtat, Naphthæ inſtar citò admodùm concipit ignem; &, niſi ſeveritate Legum ſanciatur quaſi Cautio, incendiis fortuitis valdè obnoxium eſt. Porrò, Aqua ex ſe inſipida eſt; quare, ut ſaporem edat, cum aliâ quâpiam re,

re, genio prorſus contrario, calido *viz.* & ſicco, miſceri eam oportebit: habebit itaque Saporem vel à vicinæ quam præterlabitur Terræ qualitate, vel ab Ignis admiſtione. Calor enim vi in tellurem impactus, in oleoſis ejuſdem particulis, veluti viſco quodam, primò implicatur; quas ſibi mordicùs hærentes quàcunque via patet (nullibi autem non patet Agenti huic ſubtiliſſimo) ſecum defert: Terreſtres itaque eas, quæ ſunt Pinguedinis defœcatioris, cum humidis ſeque ipſo hîc, illîc, ubique miſcet & contemperat, atque ad aliqualem tandem conſiſtentiam coquit: Hinc Sapores varii, pro variâ ſingulorum quæ mixtum iſtud ingrediuntur exuberantiâ, vel defectu.

2. Ex his Dulce, ob optimam concoctionem, caliditatem mediocrem, & ſubſtantiam congruè mollem æquabilémque, guſtui Humano maximè arridet; Idcircò Linguæ poros blandè aperit, temperatè calefacit & humectat, ibique tanquam in loco ſibi proprio hæret aliquamdiu manétque. Oblectatur ſiquidem Natura temperie iſtâ congeneâ, neque eam excutere conatur, utì aſſolet res eas quæ temperamento aut inimico, aut parùm congruo prædita ſunt. Hinc fit ut appetitus maximè inhiet dulcibus; idem quippe jucundum ac delectabile linguæ

& ventriculo ob communem utriuſque tunicam.

3. Lenis autem illa linguæ titillatio quæ dulcedinis perceptio eſt, hoc modo efficitur. Calor moderatus, humiditate aſſeclâ, duriores compoſiti partes ſubit, diſſindit & plurimâ coctione earundem aſperitatem inæqualitatémque (eo pænè modo quo, ex elixatione, fibræ carnis fractæ ac tandem diſruptæ apparent) comminuit; donec eò lævitatis atque exiguitatis devenerint ut, patulis linguæ meatibus adaptatæ, ſine vi intromittantur, vel potiùs ſponte ſeſe inſinuent; intromiſſæque demùm, non jam, ut ante, nervos per ſenſorium illud diſſeminatos pungant & unguibus quaſi lacerent, ſed attrectatione leni ac naturæ noſtræ approportionatâ eos veluti demulceant, blandóque attactu lambant.

4. Ut fructus immaturi *Auſteri*, *Acerbi* & *Acidi*, *Dulces* evadant, quamplurimæ mutationes ſubeundæ ſunt; eò quòd iſti ſub genere Saporum quàm longiſſimè diſtent: Gradatim etiam alterari debent, nam, ſi Calor immutationem iſtam efficiens valde intenſus fuerit, *Sicci* aut (exuſtâ pinguedine) *Amari* fient; Si nimis remiſſus, vincente humore, à putredine corrumpentur.

5. Acerbum, Auſterum, Ponticum & Stipticum

Stipticum omnia aſtringendi vim habent, & gradu tantum differunt; in eo autem conveniunt quòd terrenas, ac proinde frigidas & craſſas habeant partes, dulcedinique contrarias: Fit autem Senſatio quem in guſtûs organo excitant hoc prorſus modo; Conſtat Acerbum (idémq; de cæteris ſuo gradu dicendum) è multis Terræ partibus, quæ cum Aqueis non benè miſcentur; his itaque poros ſubingreſſis, mox exprimuntur inde malè mixtæ Aquæ particulæ, ſolæque remanent Terreſtres; quæ, cùm indolis ſint valdè ſiccæ, proximam ſibi humiditatem ab omni pori latere in ſe fugunt, ſeu veriùs excipiunt; quod cùm ubique oris fiat, naſcitur inde ſenſus ille Contractionis, quem, dum hujuſmodi guſtamus, experiri ſolemus.

6. Hinc redditur ratio cur omnia iſtiuſmodi contrahant, ſiccent, roborent, exaſperent, denſent, repellant, inæqualiter denique ſenſum afficiant.

7. Prægnantibus, à copiâ lactis dulcis, vitiatur appetitus; hinc in Cittâ Acerba & Acida jucundiſſima iis exiſtimantur, contra quàm eſurientibus uſu venit.

8. Cùm verò *Acidum* ex Acerbo, ſuperveniente humiditate rariori & aereâ, eâdémque manente frigiditate, provenire videatur (nam ſi humiditas ſit denſior &

naturæ aqueæ, ac quamplurimis ſiccis & terreſtribus imprægnatæ partibus, ex Acerbo *Auſterum* efficitur) inde fit, ut fructus ii qui in principio lignoſi, ſicci, ſimúlque acerbi ſunt, ab affluxu humoris aceſcant: Hanc etiam ob cauſam acida frigidiuſcula ſunt, partiúmque cæteris tenuiorum; laxatis, ſcilicet, ab humore illo, non tamen devictis uſquequaque alteratíſque, ſiccis illis particulis.

9. Ex Acidorum temperie jàm declaratâ petenda eſt ratio, quare hujuſmodi corpora incîdant, dividant, farctu liberent, citra calefactionem perpurgent, penetrent, tergant, denſent, aſperent, calorem extinguant, acre obtundant, rebus inſipidis ac dulcibus vigorem ac robur addant, viſcidam in ventre materiam incîdant ac deorſum præcipitent, ſiſtant quoque Alvum ſi quando in eâ viſciditas non inſit, poſt cibum purgent (eò quòd nervoſo generi parùm amica ſint) Flatibus diſtentum ad ſeceſſum provocent, bilem flavam & ſanguinis fervorem compeſcant, Sanguifaciendi facultatem lædant, corpus denique purgando per accidens exiccent.

10. Quòd ſi loco frigiditatis ſuccedat calor cum humiditate aqueâ, idem Acidum (ex Acerbo ratione jam explicatâ factum) *Dulce* evadit; uti etiam, ſi eidem calori

calori aerea quædam tenuiórque adjungatur humiditas, ídque in partibus minuſculis, è tali compoſitione enaſcitur *Pingue*; quod quidem, ſi in ſpeciali accipiamus, majorem profectò lævoris habere gradum ſtatuimus quàm cui temperies noſtra aptè reſpondeat, unde *ultra dulcedinem* coctum, & veluti qualitatis nobis congeneæ quædam (ut ita dicam) *ſuperelaboratio*, naturæ noſtræ nauſeam faſtidiúmque creare ſolet.

11. Cæterùm, uti à calore humorem coquente dulceſcunt ſucci, ita, eodem iterùm evocato, aceſcunt denuò ac putrefiunt: Eſt autem *Putrefactio* iſta interni ac nativi caloris in unoquoque humido exiſtentis ab externo corruptio. Si humor aqueus calorem inſitum eo gradu ſuperaverit ut non debita aut proportionata ſit mixtio, in quâlibet ferè ebullitione ſeu fermentatione partes aereæ & igneæ, in quibus Pinguedo potiſſimùm inſidet, diſſipantur facilè ac reſolvuntur; Terreſtres autem & Aqueæ, quæ ob viſcoſam partium tenacitatem diſcuti nequeunt, ſed in compoſito manent pænè illibatæ, ad priſtinum illud reducunt ſtatum, quem nondum maturatum atque à calore ritè coctum olim habebat: quò ſit ut ad Saporem quoque priſtinum, aciditatem, ſcilicet, remetito quaſi Naturæ curſu

dolis. Hanc immiſſo radiorum innumerabilium, veluti ſpiculorum totidem ſubtiliſſimorum, quodam quaſi Fluvio in minutiſſimas primò ſecat partes; quas cum Aquâ, Aere, Séque ipſo miſcens remiſcensque, eas tandem probè ſubactas perenni fluxu à radicibus, per truncum & caulem, in ramos, frondes & fructus evocat; evocatas paulatim denſat; tandémq; maturatas ad fines à Naturâ ſtatutos promovet. Ad hoc autem Solis Virtus peculiaris, non parùm videtur prodeſſe: Cujus jugè incendium à bituminoſæ Materiæ (ut verisimiliter conjectare licet) pabulo factum, eandémque radiorum vehiculo longè latéque effundens, Terram fœcundat; eo pænè modo, quo *Veſuvii* flammæ uberiùs erumpentes ſubjacentia impinguant arva.

3. Ex modò dictis patet ratio, cur Cerealia, Vina, omnia denique quæ è pinguiore glebâ germinant, Spiritum inflammabilem habeant; unde ſicut Palato & Naribus, ita Cerebro quoque grata ſunt; in quod dum è toto corpore ſubvolat unctuoſa ſeu ſpirituoſa iſta exhalatio, ipſum (ut poſtea probabitur) eâdem delibutum ac pænè obſeſſum, in quietem illam ſeu ceſſationem à functionibus conjicit quam *Somnum* vocamus; unde etiam jucundiſſima illa oritur ſenſatio, quam partim

partim mox à ſomno nos percepiſſe recordamur, partim quoque vel inter dormiendum percipimus; ex lenocinio ſcilicet gratiſſimo fumi iſtius, blandis ulnis Cerebrum undique amplexantis, leníque veluti palpo illud, quò Soporem provocet, permulcentis.

4. Patet etiam cur quæcunque herbæ oleoſum copiosè imbibant Succum, Tellurem ſterileſcere faciant: unde *Virgilius*

Urit enim lini campum ſeges, urit avena;
Vrunt lethæo perfuſa papavera ſomno.

5. Patet præterea, quare Cometæ aliqualem in locis quibuſdam cauſare Sterilitatem ſoliti ſunt. Quicquid enim de illorum naturâ ſit (quam perſcrutari non eſt noſtri inſtituti) hoc certè dici debet, nequaquam coaleſcere potuiſſe tam ingentia corpora, niſi particulæ quibus conſtabant oleaginoſæ ſeu unctuoſæ eſſent. Cùm enim omnis Cohæſio vel à ratione Quantitatis in genere ſeu *Continuitatis*, quæ toti rerum univerſitati communis eſt; aut ſaltem hujus vel *talis* quantitatis, ejus nimirum quæ præ exiguitate diviſionem difficulter aut non omninò admittit; vel ratione *Qualitatis* cujuſdam quæ profectò non alia eſſe poteſt quàm unctuoſitas (hæc enim ferè craſſioris generis demixtorum commune eſt gluten,

unde

unde oleum è quovis pænè mixto extrahi ſolet) ; & minimorum *figuris* Naturæ texturam tribuere, eſſet profectò craſsè nimis philoſophari, & mille abſurda intérque ea *Vacui*, hoc eſt, *Nihili* poſitionem poſt ſe trahit : certè concipi non poteſt moles adeò vaſtas ſolâ minimarum particularum appoſitione ubiq; cohærere: neceſſe eſt itaque ut à Qualitatis iſtius ſeu corpuſculorum oleoſorum ubivis immiſtorum ope, in conſiſtentiam illam quâ fruuntur, coeant. Quid quòd radii Solares, ſi quas alias moleculas, certè unctuoſas, ſibi nempe reflectentibus præ cæteris quibuſcunque particulis mixtis adhærere aptiſſimas, magnâ copiâ in Aerem evehant & ubique fundant ; unde in Fulmine & omnibus pænè Meteoris qualitatis hujus naturam effectúſq; experimur. Plurimum itaque olei in viſceribus ſuis ubivis concludunt Cometæ ; unde fit ut brevi diſſolvantur, quod quidem ſive contingat eò quòd ignem facile concipiat aptiſſimus ille fomes, ſicque ſit Cometes —— *ſuus ipſe rogus* ; ſive (quando lumen tantùm reflectit, non autem gignit) ex eliquatione glutinis illius quibus ipſius partes antè cohærebant ; hoc certè dicendum videtur nequaquam adeò ὀξύμορον eum eſſe potuiſſe ſi terrâ macilentiori, qualis noſtra eſt, conſtitiſſet,

ſtitiſſet, & non plurimum pinguedinis in ſe habuiſſet; quæ cùm è Telluris ſuperficie à deprædante Solis jubare furtivè ſublata ſit, nil mirum ſi ſolito minus relictum, ſterilitáſq; inde aliqualis ſecuta fuerit.

6. Eundem ſuo gradu ſortitur effectum Eclipſis Solaris, minori licèt diſpendio: Dum enim avertuntur ab aliquibus locis radii ipſius intercipiuntúrque, ceſſare ibi aliquatenùs motum rerum generationi neceſſarium, fœcunditatémque proinde minui neceſſe eſt.

7. Patet denique cur nimia etiam humiditas ſterilitatem inducat; cùm enim ex hâc dilutior fiat Succus unctuoſus, flacceſcit enervatúrque ipſius vis ſeu calor nativus, imò extinguitur tandem, ac veluti obruitur. Eandem propè ob Cauſam diutinum & violentum Frigus damnum quoque affert. Sterilitatis cauſas fuſiùs quam pro re natâ fortaſſe proſecutus ſum; eò autem id feci, quòd harum cognitionem, ad Peſtis naturam causáſque dignoſcendas, plurimùm collaturam exiſtimaverim.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Dulcedine, nonnulliſque aliis qualitatibus per quas ad ipſam acceſſus, receſſúſve ab eâ fit.

1. PORRÒ, cùm *Dulcedo* ſit Pinguedinis, prout à nobis accipitur, quædam quaſi pars, eáque non parvi nominis, ipſius proinde naturam usúmque explorare ac jucundiſſimæ iſtius qualitatis conſideratione mentem oblectare neque ingratum neque intempeſtivum futurum eſt. Definimus autem Dulce eſſe quiddam ex humido aqueo & ſicco terreo probè concoctum in ſubſtantiam oleoſam, mollem, æquabilem, optimèque Organo guſtûs attemperatam. De hoc primò obſervandum, quòd, cùm res è Tellure naſcentes variis imbutæ ſint Saporibus, iiſque pro indole Soli, cui originem debent, diverſis, Dulcia è terrâ bituminosâ pænè ſemper oriantur; ut patet in Saccharo, quod, eam ob cauſam, dum in Cannarum ſegete adhuc ſtat, Naphthæ inſtar citò admodùm concipit ignem; &, niſi ſeveritate Legum ſanciatur quaſi Cautio, incendiis fortuitis valdè obnoxium eſt. Porrò, Aqua ex ſe inſipida eſt; quare, ut ſaporem edat, cum aliâ quâpiam re,

re, genio prorſus contrario, calido *viz.* & ſicco, miſceri eam oportebit: habebit itaque Saporem vel à vicinæ quam præterlabitur Terræ qualitate, vel ab Ignis admiſtione. Calor enim vi in tellurem impactus, in oleoſis ejuſdem particulis, veluti viſco quodam, primò implicatur; quas ſibi mordicùs hærentes quàcunque via patet (nullibi autem non patet Agenti huic ſubtiliſſimo) ſecum defert: Terreſtres itaque eas, quæ ſunt Pinguedinis defœcatioris, cum humidis ſéque ipſo hîc, illîc, ubique miſcet & contemperat, atque ad aliqualem tandem conſiſtentiam coquit: Hinc Sapores varii, pro variâ ſingulorum quæ mixtum iſtud ingrediuntur exuberantiâ, vel defectu.

2. Ex his Dulce, ob optimam concoctionem, caliditatem mediocrem, & ſubſtantiam congruè mollem æquabilémque, guſtui Humano maximè arridet; Idcircò Linguæ poros blandè aperit, temperatè calefacit & humectat, ibíque tanquam in loco ſibi proprio hæret aliquamdiu manétque. Oblectatur ſiquidem Natura temperie iſtâ congeneâ, neque eam excutere conatur, utì aſſolet res eas quæ temperamento aut inimico, aut parùm congruo prædita ſunt. Hinc fit ut appetitus maximè inhiet dulcibus; idem quippe jucundum ac delectabile linguæ

& ventriculo ob communem utriuſque tunicam.

3. Lenis autem illa linguæ titillatio quæ dulcedinis perceptio eſt, hoc modo efficitur. Calor moderatus, humiditate aſſeclâ, duriores compoſiti partes ſubit, diſſindit & plurimâ coctione earundem aſperitatem inæqualitatémque (eo pænè modo quo, ex elixatione, fibræ carnis fractæ ac tandem diſruptæ apparent) comminuit; donec eò lævitatis atque exiguitatis devenerint ut, patulis linguæ meatibus adaptatæ, ſine vi intromittantur, vel potiùs ſponte ſeſe inſinuent; intromiſſæque demùm, non jam, ut ante, nervos per ſenſorium illud diſſeminatos pungant & unguibus quaſi lacerent, ſed attrectatione leni ac naturæ noſtræ approportionatâ eos veluti demulceant, blandóque attactu lambant.

4. Ut fructus immaturi *Auſteri*, *Acerbi* & *Acidi*, *Dulces* evadant, quamplurimæ mutationes ſubeundæ ſunt; eò quòd iſti ſub genere Saporum quàm longiſſimè diſtent: Gradatim etiam alterari debent, nam, ſi Calor immutationem iſtam efficiens valde intenſus fuerit, *Sicci* aut (exuſtâ pinguedine) *Amari* fient; Si nimis remiſſus, vincente humore, à putredine corrumpentur.

5. Acerbum, Auſterum, Ponticum & Stipticum

Stipticum omnia aſtringendi vim habent, & gradu tantum differunt; in eo autem conveniunt quòd terrenas, ac proinde frigidas & craſſas habeant partes, dulcedinique contrarias: Fit autem Senſatio quem in guſtûs organo excitant hoc prorſus modo; Conſtat Acerbum (idémq; de cæteris ſuo gradu dicendum) è multis Terræ partibus, quæ cum Aqueis non benè miſcentur; his itaque poros ſubingreſſis, mox exprimuntur inde malè mixtæ Aquæ particulæ, ſolæque remanent Terreſtres; quæ, cùm indolis ſint valdè ſiccæ, proximam ſibi humiditatem ab omni pori latere in ſe ſugunt, ſeu veriùs excipiunt; quod cùm ubique oris fiat, naſcitur inde ſenſus ille Contractionis, quem, dum hujuſmodi guſtamus, experiri ſolemus.

6. Hinc redditur ratio cur omnia iſtiuſmodi contrahant, ſiccent, roborent, exaſperent, denſent, repellant, inæqualiter denique ſenſum afficiant.

7. Prægnantibus, à copiâ lactis dulcis, vitiatur appetitus; hinc in Cittâ Acerba & Acida jucundiſſima iis exiſtimantur, contra quàm eſurientibus uſu venit.

8. Cùm verò *Acidum* ex Acerbo, ſuperveniente humiditate rariori & aereâ, eâdémque manente frigiditate, provenire videatur (nam ſi humiditas ſit denſior &

naturæ aqueæ, ac quamplurimis ſiccis & terreſtribus imprægnatæ partibus, ex Acerbo *Auſterum* efficitur) inde fit, ut fructus ii qui in principio lignoſi, ſicci, ſimúlque acerbi ſunt, ab affluxu humoris aceſcant: Hanc etiam ob cauſam acida frigidiuſcula ſunt, partiúmque cæteris tenuiorum; laxatis, ſcilicet, ab humore illo, non tamen devictis uſquequaque alteratíſque, ſiccis illis particulis.

9. Ex Acidorum temperie jàm declaratâ petenda eſt ratio, quare hujuſmodi corpora incîdant, dividant, farctu liberent, citra calefactionem perpurgent, penetrent, tergant, denſent, aſperent, calorem extinguant, acre obtundant, rebus inſipidis ac dulcibus vigorem ac robur addant, viſcidam in ventre materiam incîdant ac deorſum præcipitent, ſiſtant quoque Alvum ſi quando in eâ viſciditas non inſit, poſt cibum purgent (eò quòd nervoſo generi parùm amica ſint) Flatibus diſtentum ad ſeceſſum provocent, bilem flavam & ſanguinis fervorem compeſcant, Sanguificiendi facultatem lædant, corpus denique purgando per accidens exiccent.

10. Quòd ſi loco frigiditatis ſuccedat calor cum humiditate aqueâ, idem Acidum (ex Acerbo ratione jam explicatâ factum) *Dulce* evadit; uti etiam, ſi eidem calori

calori aerea quædam tenuiórque adjungatur humiditas, ídque in partibus minuſculis, è tali compoſitione enaſcitur *Pingue*; quod quidem, ſi in ſpeciali accipiamus, majorem profectò lævoris habere gradum ſtatuimus quàm cui temperies noſtra aptè reſpondeat, unde *ultra dulcedinem* coctum, & veluti qualitatis nobis congeneæ quædam (ut ita dicam) *ſuperelaboratio*, naturæ noſtræ nauſeam faſtidiúmque creare ſolet.

11. Cæterùm, uti à calore humorem coquente dulceſcunt ſucci, ita, eodem iterùm evocato, aceſcunt demùm ac putrefiunt: Eſt autem *Putrefactio* iſta interni ac nativi caloris in unoquoque humido exiſtentis ab externo corruptio. Si humor aqueus calorem inſitum eo gradu ſuperaverit ut non debita aut proportionata ſit mixtio, in quâlibet ferè ebullitione ſeu fermentatione partes aereæ & igneæ, in quibus Pinguedo potiſſimùm inſidet, diſſipantur facilè ac reſolvuntur; Terreſtres autem, & Aqueæ, quæ ob viſcoſam partium tenacitatem diſcuti nequeunt, ſed in compoſito manent pænè illibatæ, ad priſtinum illud reducunt ſtatum, quem nondum maturatum atque à calore ritè coctum olim habebat: quò fit ut ad Saporem quoque priſtinum, aciditatem, ſcilicet, remetito quaſi Naturæ curſu

iterùm redeat. Hinc vina Recentia, uti etiam ea quæ Languida & dilutiora ſunt, ſi quando ab æſtate motúve incaleſcant, protinus acida redduntur; at non item Generoſa & Vetera, niſi aquam addideris.

12. Præter calorem Extraneum ineſt quoque Nativus, à quo fructus ante debitam maturitatem decerpti procedente tempore dulceſcunt ac mites fiunt; licèt id quoque aëris ambientis calori aliquâ ex parte adſcribendum ſit: Qui quidem, ſicubi ferventior ſit, ſublevat è tellure vaporem quendam, puriſſimâ ſeu benè coctâ Pinguedine conſtantem; hic, à noctis frigore denſatus, circa matutinum tempus decidit in terram, ab animantibus iſto cœlitùs (ut ita dicam) miſſo cibo delectatis colligendus. Hujuſmodi ſunt Manna, aliíque ſucci melliflui, quibus Græcia regionéſque Orientaliores magis abundare noſcuntur. Quid quòd ipſum quoque Mel ſit vapor quidem dulcis quem in floribus ac frugibus perfuſum Apiculæ inde colligunt & compingunt, non autem conficiunt. At nec ab hujus naturâ atque indole abludit mel illud roſcidum quod ſegeti & virgultis incidens adhærénſque, iiſdem exitio eſt. Eâ namque aviditate ab Apibus conquiritur, ut, quoties hoc decidit, primâ luce ſolitóque diluculò magis alvearibus tumultuariò

tuariò exiliant, cogántque; posthabitísque jam florum deliciis, quercuum folia gulosè deprædentur; ita námque fiet ut crura citissimè onerent; quóque feracior hujusmodi proventùs contingit annus, eò uberiùs melle distenduntur favi.

13. Verùm frumenti annonæque caritas dulcedine non compensatur, nec offa melle intincta famem arcet, aut latrantis stomachi voracitatem sedat. Quantum detrimenti afferat Segeti mel istud, λυκόπνιγον, neminem latet; Causa itaque tanti mali ex principiis jam præjactis aperienda est. Spiritum longè subtilissimum istiusmodi mellita in se claudunt; hic, intensiore Solis ardore nascentium substantiam aperiente, in eandem se insinuat, ac absque obice ubique penetrat, pervadítque. Hinc fruges nativo viduatæ succo siccantur, siccatæ arescunt, arefactæ marcent, imò tandem nigrent; ut non immeritò uredine percuti dicantur. Noxius iste ros ferè depluere solet à decimo Junii ad Julii decimum; incipit autem citiùs, longiúsve durat, ratione tempestatis aut loci calidioris: In *Italiâ*, utpote regione calidâ, circa vergiliarum exortum ut plurimùm decidit. Plin. Nat. Hist. l. 11. c. 24

14. Nec solùm ad nobiliora Nutritionis & Vegetationis effecta in instructissimo Naturæ penu reposita sunt media, verùm

etiam ad uſus minùs dignos inutiliora rerum etiam præſtantiſſimarum fragmenta ſapienter ordinata atque accommodata ſunt, ne qua omninò Mundi pars, pro rei cujuſque gradu, munere ſuo vacet, vel cauſis ſibi proportionatis deſtituatur. Exemplum in Cerâ videmus, quæ licèt ad dulcedinis dignitatem non attingat, aut eſui ſerviat, habet tamen aliquam in ſe Pinguedinem (licèt illa quidem terreſtrioris ſeu craſſioris ſit indolis) atque utilitates non paucas. Hæc à calore Solis potentiore è terrâ evellitur potiùs quam exhalatur: Ab Aprili ad Septembris finem eam è floribus colligunt Apes, ad favos fabricandos. Pinguedo itaque quam habet cum multâ ſiccitate conjungitur. Ex his qualitatibus donatur virtute emolliendi, relaxandi, dolorem ſolvendi, abſceſſus calefaciendi, mitigandi, coquendi, maturandi, corpora denique (ſi quâ datur hiatus) explendi: Præbetur in ſorbitione Dyſentericis, imò favi quoque ipſi in pulte alicæ priùs toſtæ. Adverſatur Lactis coagulationi in ventriculo, quem effectum prohibent decem grana cèræ hauſta, millii magnitudine: Si inguen tumeat albam ceram in pube fixiſſe remedio eſt.

Plin. Hiſt. Nat l. 22. c. 24

15. Niſi quædam inter ea interceſſiſſet partium identitas, nunquam Dulce & Pingue in eandem claſſem retuliſſet *Ariſtoteles*.

ſtoteles. In eo autem manifeſtè conveniunt quòd utrumque veluti inungat atque impleat, utrumq; etiam eroſas aſperáſque linguæ partes leniat. Quid quòd Nuces, Amygdala dulcia, aliáque hujuſmodi, ſi quando diutiùs ſerventur, ſuperato excoctionis ſeu læboris gradu eo in quo (ſenſui utique noſtro approportionato) ſita eſt Dulcedo, Pinguia omninò efficiuntur. Ab oleosâ qualitate, quâ abundant Dulcia, ventriculi orificium emolliunt, ſicque appetitum auferunt; unde, ut in vinorum ingurgitatione conſtat, citiùs enim dulcibus quàm acidis implemur.

16. Ad uſum quod attinet Medicinalem ex dictis à priori elicitur, quod Experientiâ quoque comprobatum eſt, Dulcia humores coquere, laxare, rarefacere, thoraci pulmonique prodeſſe, impinguare, ſemen generare, flatus excitare, aeria, acida, amara & ſalſa reprimere, inſipidis vigorem addere, Jecur & Lienem infarcire & tumefacere, phlegmonen denique augere. Patet etiam cur Acerba à Pinguibus emendentur.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De Suavitate, ejúſque Canſis.

1. COnſenſus & Conſpiratio permagna eſt, Saporem inter & Odorem; perinde ac ſi ad unum eundémque pertinerent Senſum, atque utravis perceptionum harum nihil aliud eſſet quàm deguſtatio quædam: hinc eædem utriúſque Nomenclaturæ; hi ſiquidem, perinde atq; illi, dulces (ſeu ſuaves) acres, acidi, fœtidi agnominantur. In eo autem diſcriminari videntur, quòd, cùm dentium operâ contenantur comminuantúrque cibi, partes ejus craſſiuſculæ mox guſtandi organum aptè afficiant, Saporémque edant; eæ autem quæ rariores & leviores ſunt ab eâdem moliturâ factæ, ſurſum tendant, & Odoratum, ſenſum acutiorem altiorémque, attactu ſubtiliore perſtringant. Ea ſiquidem communicatio ac commercium, ob organa affinia communémque membranam, inter ſenſus iſtos intercedit, ut ab odoribus fœtidis ſæpè evertatur Ventriculus: & utrovis horum vitiato, alter rariſſimè integer reperiatur. Brutis ad prælibandum cibum datur Odoratus acutior, quem Cicurata ex ingluvie & deſuetudine poſtmodùm amittant.

Nonnull

Nonnulli etiam Homines ex inediâ coactâ vel temperantiâ voluntariâ eam narium ſagacitatem adepti ſunt, ut nè Beſtiis quidem naſutiſſimis eâ facultate cederent.

2. Præter munus autem, quod diximus, prægustandi cibum, eundem aliquatenùs ingerit etiam Odor, & Nutritionis aliqualis vehiculum eſt; Quid namque obſtat quò minùs portiunculæ cibi minutiſſimæ olidis innatantes fumis, per Odoratûs meatulos in corpus animalis æquè facilè ſubrepere poſſint atque aër humidus, aut Catharticum externè applicatum? Imò ex effectis innotuit, eſurientes carnis toſtæ ſeu aſſatæ aliquando fuiſſe ſatiatos vaporibus, quos tamen iidem benè ſaturi averſati ſunt. *Aſtomi*, teſte *Plinio*, halitu radicum, florum & pomorum redolentium diù vivunt, gravioribus verò odoribus exanimantur; *Democritus* etiam, ſeptuageſimum ætatis agens annum, ſolo panis odore triduò vitam produxit. Optimè itaque ſenſit *Hippocrates* eos qui præ debilitate nimiâ celeriter reficiendi ſunt, humidis cibis reparari debere, qui celeriùs per Odoratum. Dicendum tamen iſtiuſmodi odores, licèt refocillationi ſpirituum plurimùm contulerint, reparationi tamen ſolidarum corporis partium præ labore deciſarum vel nihil penitùs vel certè parùm

parùm admodùm conruliſſe : Nam, cùm omnis Odor ſuavis & recreans ſit efflux-us ſubſtantiæ ſubtilis & pinguioris, adeò exiguum ſolidioris ſubſtantiæ evaporatione iſtâ imminutum eſt, ut pari omninò pondere quo antea, Lancem deprimat : Patet hoc ex purgativâ (& craſſiore quidem illâ quàm in odoribus reperitur) vitri Antimonii emanatione ; quod, licèt centies infundas, nullam utique infuſionem eâdem prorſus virtute non imbuit, vix tamen quicquam interim priſtinæ ipſius gravitati deceſſiſſe admirabundus comperies.

3. Verùm, ut ad propoſitum noſtrum revertamur. Extra dubitationem jam poſitum ſperamus, Suaveolentiam è Pinguedine provenire. Suadet hoc inſuper Macis, Nux-moſchata, Aniſi ſemen, aliáq; plurima hujuſmodi oleo fœta ; quo dempto, abſumitur & Odor. Nonnulla Odorem cum viſciditate adeò inſigni conjunctum habent & quaſi implicatum, ut non, niſi confrictione & attritu vexata, eundem evolare ſinant, ut Succinum ; alia, niſi uſtione torqueantur, ſocium adeò jucundum à ſe divelli non ſuſtinent ; qualia ſunt Myrrha, Thus & Olibanum. Atque hinc eſt quòd cùm Odor & Spiritus vitales, ut poſtea dicetur, ex eâdem conficiantur materiâ, fragrantia omnia Cor & Cerebrum

Cerebrum confortent & recreent, exhauſtóſque & peſte languentes inſtaurent ac reparent. Eadem quoque venenis & venenatis obſtant, ea autem præcipuè quæ Cor roborant; hinc & Cervini & Styracis odore fugantur Serpentes: è contra verò odor fœtidus ſpiritus labefactat, vires peſſundat, triſtitiam inducit, febres excitat peſtilentiales & putridas, ſopitáſque revocat, nutritionem denique vitiat & pervertit.

4. Ut Suavius ſit ſpiramen, plurimùm conferunt calor & ſiccitas, pinguiores telluris partes extrahendo, concoquendo ac probè concoctas tandem evaporando; quam ob cauſam Regiones quò ferventiores eò odoratiores, ut in *Indiâ Orientali, Syriâ* & *Arabiâ* cernitur: *America* autem, ſub eiſdem licèt Parallelis ſita ſit, tamen, cùm ſit Peninſula atque ingentia utrinque habeat Maria, è quibus majori copiâ vapores humidos excitat Sol quàm ut eoſdem diſcutere valeat, idcircò aromata (quæ inter odorifera palmam obtinent) nequaquam producit; eò quòd *Omnis bonus odor in ſicco fundatur:* Hinc fructus agreſtres odoratiores hortenſibus, hinc flores in *Ægypto* naſcentes pænè inodori ſunt; eò quòd ab inundationibus *Nili* nebuloſus aër ſiccitate debitâ deſtituatur. Hinc Plantæ herbæque multæ quò ſicciores

ores eò ſuaviores. Hinc Pingue ipſum, etſi nunquam ex ſe malè olet, tamen, niſi cum ſicco benè miſceatur ac contemperetur, nequaquam gratùm ſpirat. Porrò, cùm unumquodque reſiciatur à quibus primitùs conſtitutum fuit, hinc Moſchus, è corruptione natus, ſiquando odorem amiſerit, à Latrinæ Mephitide, quæ (ut mox probabitur) valdè adipoſa eſt, eundem recuperabit. Denique, ut verbo dicam, omnis Odor bonus ex Amaro fit, quod à Pingui excocto & quaſi ſemiuſto originem ducit, ut inferiùs probabitur.

SECTIO QUARTA.

De Pinguedine in Animantibus, & quibus Modis conſequenda ſit.

1. HActenus de Pinguedine eâ, quæ in Non-viventibus ac Vegetabilibus cernitur: Jam poſtulat ordo ut de illâ tandem quæ in Animantibus reperitur, déque ejus generatione, differentiâ, uſu, abuſúque pro inſtituti noſtri ratione diſcurramus.

2. Naſcitur Pinguedo iſta ex particulis cibi partim dulcibus, partim verò aqueis, à nativo calore elaboratis concoctíſque. Materia hæc cùm à venis arteriíſque

riíſque excernitur, in loca frigidiora decidens ſenſim concreſcit, abeâque, lentore caſeoſo comitante, veſiculæ quædam efformantur conficiuntúrque; in quibus, haud ſecùs atque in cellulis ſibi propriis Aurantii ſuccus, Pinguedo reconditur.

3. At cùm, ſi ſingula Animantium genera circumſpiciamus, ad Pinguedinem generandam alia aliis multò ſint proclíviora, ad hujus proinde cauſas penitiùs inveſtigandas magnopere conducet, ſi quæ conſtitutio partiúmve efformatio cum eâdem conjunctæ reperiantur diſquiramus. Primùm itaque, iſtud in communi ex ipſarum naturâ rerum immediatè elicitur, quòd, cum Calor, pro efficaci quâ pollet vi, Pinguedinem liquefaciat rarefaciátque, venas & arterias, per quas tranſire debebat hæc, novâ Spirituum copiâ inde confectâ in amplitudinem majuſculam dilatabit; unde macilentiores erunt hujuſmodi, Spiritibus autem (iíſque robore ac vigore prædítis) referti; è contra verò qui frigidiori ſunt temperamento paucos Spiritus gignunt; eâque de causâ venis parvis & incertis, ventriculo item parvo ut plurimûm donantur: in his exiguâ admodum Pinguedinis illius portione (quæ propria ipſorum materia eſt) in Spiritus rarefactâ, deferuntur in loca minùs calida glutinoſæ illæ particulæ, ibíque in maſſam illam

illam adipoſam, quam Pinguedinem appellamus, tandem concreſcunt. Obeſi itaque fient hujuſmodi: Hinc ob frigus Senectutem comitans in ætate provectiori potiùs quàm in vitæ flore (cætera ſi adſint paria) in Pinguedinem vergunt Animantia.

4. Porrò, cùm Pingue ſit naturæ admodùm ſubtilis & à labore motúque facilè attenuabilis, evaporabitur profectò, dum à calore in loca externa & longinqua extruditur, atque è toto Corpore penitùs evolabit, niſi Cutis, tanquam vaſis cujuſpiam denſi & compactioris, ponatur Obex. Hinc Sus, qui Cute valdè densâ circundatur, pinguiſſimus eſt, omentúmq; etiam habet inſigniter adipoſum, ob alimenti copiam membranæque craſſitiem. Quibus denſior eſt Caro, ea inter Cutem & Carnem pingueſcunt; quæ Carnem rariorem, parvúmque habent ventriculum, intra carnem; quæ cute ſunt denſiore & carne rariore, utróque modo opimantur; ut videre eſt in Bobus emaciatis, ætate & labore primum fractis, deinde ſaginatis. Oves & Capræ, omnéſque in univerſum Quadrupedes, dum fœtus geſtant, eò quòd tum temporis voraciùs edant, pinguiores fiunt. Quædam item paſcua ad Pinguedinem generandam adeò ſunt apta, ut, niſi pecora abigantur quò

quò pabulum non niſi veſpere capiant, nimiâ victûs copiâ obruta intereunt.

5. Diſcrimen, Adipem inter & Sevum, ex diversâ Sanguinis indole enaſcitur: Quibus ſanguis Fibroſior & Corpulentior (ut cui plurimum Terræ, Aquæ verò parum inſit) ea in viſceribus Sevum generant: Calore etenim exiccatur ac diſſipata evolat tenuior Pinguedinis pars: Caſeoſa autem illa quæ relinquitur ſolito magis inſpiſſatur; ideò Cornubus & Talis, ſi credamus *Ariſtoteli*, prædita ſunt hujuſmodi. Accidit autem hoc Cornigeris ſolummodò iis quæ utrimque dentata non ſunt.

6. Altera inter Sevum & Adipem differentia ex locis utriuſque nativis petenda eſt. Quippe Adeps, ut jam dictum eſt, inter Cutem & Carnem, ſive etiam intra ipſam Carnem conſiſtit; in carnis autem extremitate, Sevum: ſive id fiat accreſcendo carni, more ſubdititio, utì in plurimis corporis locis; ſive carnoſas partes obducendo, qualiter in Renibus; aut membranoſas, ut in Omento, frequenter cernitur. Adnotandum quoque, in iis quæ Sevum generant tum Omentum tum Medullam ſebaceæ eſſe naturæ; in aliis autem non item, ut in Suibus patet.

7. At, cùm compertiſſimum ſit Exanguia vel ad unum omnia Pinguedine

deſtitui, quâ ratione ea demum generetur exquirendum eſt. Id autem in primis conſtat, Obeſitatem non uſquequáque naturæ propriam eſſe, ſed fermè Adventitiam ac arte ſeu curaturâ (Naturâ aliquando pænè invitâ) parabilem: Plurimùm autem ad Pinguedinem præ cæteris conferunt Dulcia; Nec mirum, præſtant namque iſtud ſemet impartiendo; Dulcia quippe Pinguia quædam ſunt, vel potiùs copioſiſſimam Pinguedinem, eámque naturis Animantium congeneam in ſe continent; quæ in ſingulas Corporis partes pergrato illapſu ſeſe inſinuans, eos voluptate quâdam dilatat & tumefacit, tandémque hoſpitia adeò ſibi idonea ſuo quaſi jure poſſidet. Hinc Cereviſiæ noſtratis non-lupulatæ, ac Vini jucundioris Potatores Inexplebiles citiùs longè quàm cibo in immenſam molem ſaginantur. Porci etiam ii qui Sacchari cannis victitant, in obeſitatem brevi intumeſcunt; unde tenerrimæ eorum carnes, multâque interſtinctæ pinguedine, non minùs quàm ipſa Medulla jucundiſſimè ſapiunt. Verùm Teneritudo iſta delicatula quæ adeò Guſtui adblanditur, ſolidam corporis ab eâdem nutriti compagem enervat laxátque; unde fit ut Equi hujuſmodi Bellariis paſti imbelles ſint, facilliméque oneri imò morti præmaturæ, ſuccumbant; Quæ

eadem

eadem contingunt aliis quoque Animantibus, quæcunque tandem illa ſint, quæ cibis prædulcibus avidiùs inhiant iiſque immoderatiùs ſeſe explent.

8. *Ægyptii*, ardore Solis arefacti adeóque ſqualentes ut Corio potiùs quàm Cute eos obtegi putes, exucci licèt ſint, adhibitâ tamen Induſtriâ atque artis ope (præſertim verò mulieres) pinguiſſimi evadunt. Id autem hoc modo aſſequuntur iſtæ. Cum otio & Crapulæ plus æquo indulgere ſoleant, ad plurimos dies continuos bibunt juſcula ex pinguiſſimis Gallinis facta: His admiſcent oleum è Seſamo, nucibus Indicis, Avellanis, Amygdalis dulcibus, Pineis & Piſtaceis expreſſum: Poſteà, quò viſcoſitas (qualitas, ſi qua alia, pinguedini pernecеſſaria) accedat, Bamiam, Melochiam, Sarcocollam, Colocaſſiam in iis demum infundunt; denique ita præparata, dum in tepidis ex aquâ dulci Balneis ſeſe proluunt, pro more ſumunt. Ad hæc, inter balneandum Clyſteria è pinguedine Urſi, atque oleo Seſamino cum tritici furfure in mucilaginem cocto parata, ter quaterve eodem aliquando die injiciunt; & ſic, dormitum euntes, Colchica decem toſta per quindecim aut viginti dies mandunt, vel quinque Myrobolanos Indas toſtas aut Pillulas ex his & Jujubis cum oleo Seſamæ

& ſaccharo confectas, aut cum gummi Tragacanthæ aquâ ſoluti & ſacchari Candidi *ana Semiunc.* Nonnullæ à decoctione quâdam radicibus *Chinæ*, nucis *Indicæ* atque Colocaſſiæ alteratâ, ac viginti dies aut pluseo in ipſo Balneo hauſtâ, præſertim verò ſi in gallinarum præpinguium juſculo parata fuerit, maciem exuunt, induunt Pinguedinem. Quædam per novendium ſumunt fellis vaccini chirat, cum aquâ florum Aurantiorum. Pingueſcunt aliæ ex infuſione ſeminum Fœnugræci & Zizib *Cretici Semiunciâ*, in aquâ fontanâ epotâ circa horam decubitûs, ipſo Fœnugræco & Zizib loco Cœnæ in anteceſſum Comeſtis.

9. Ex dictis pinguefaciendi modis tria notatu digna ſub conſiderationem veniunt. Primùm, cibos pingues ad obeſitatem gignendam quàm aptiſſimos eſſe; hi etenim ex ventriculo, inteſtinis, vaſiſque in Corporis habitum, locum utpote frigidiorem, tepidorum operâ Balneorum educenda ſunt; ubi ob caloris debilitatem ac humiditatis copiam concreſcunt & quaſi congelantur: Deinde, viſcidas quaſdam particulas prioribus, utpote nimis fluidis, adjungendas, nè iſtæ præ partium raritate nimis attenuatæ diſſipentur penitùs, antequam conſiſtentiâ debitâ ſtabiliri poſſint; Poſtremò, valde

efficacem

efficacem esse Chinam, ut & Myrobolanos in parvâ quantitate sumptas, ad hoc ut in exteriores Corporis partes devehantur, eò quòd mediocris purgantium dosis Sudorem excitare soleat.

SECTIO QUINTA.

De Morbis è Pinguedine tum Internâ tum Externâ natis.

1. CÆterùm, præter vitiosam seu libidinosam istam *Ægyptiarum* pinguefactionem, quam affectant quò libentiùs expetantur cariúsque æstimentur à Viris; est & alia morbosa prorsus, quæ proinde non immeritò ad se trahit medicam curandi Intentionem. Hæc inhabiles, hebetes, segnes & stupidos facit; adeò ut Anima ipsis veluti (juxta Proverbium) Suibus, non nisi vice Salis data sit: somnum producit atque intendit, imò non rarò sopore eos pænè extinguit sepelítque. Quamobrem, cùm Anima functiones suas non exerceat nisi beneficio Sensuum aut Phantasiæ, nec aliundè certiùs nobis innotescat rem quampiam vitâ frui quàm ex eo quòd sensationis capax sit, idcircò quod Sensum destruit aut ad munia sibi propria exequenda

inhabilem reddit, idem Prudentiam facultatémque intelligendi (ſaltem exercitio temus, quod ſolum cognitionem noſtram ſpectat) ipſámque etiam vitam, ſeu (quod tantundem eſt) vitæ uſum auferre, nobíſque eripere planè videtur: Nihil autem æquè ſenſationi obeſſe ac Pinguedo, ſi rerum naturas conſulamus, omninò arbitrabimur: Adeps ſiquidem ipſe ſentiendi incapax prorſus eſt; nimiam quoque ejus copiam ſenſus lædere ab experientiæ teſtimonio docemur: Quare, cùm Anima ſit id in quo ſenſus & motus eſt, ac unumquodque à magnâ quantitate ejuſdem rei perimatur neceſſe ſit à cujus parvâ quantitate noceatur, exuberans profectò Pinguedo, haud ſecùs atque olei lagena flammæ lucernulæ ſuperinfuſa, lampadem vitæ extinguit. Neque enim exiſtimandum eâ facilitate Spiritus è Pinguedine gigni, quâ ingens ſtuppæ ſtrues admotâ flammâ igneſcit; ſed opus eſt ad hujuſmodi tranſmutationem multâ naturalis facultatis operâ; dúmque agit iſta calorem ſuum imprimendo, reagit illa; caloris vim per aqueas terreſtréſque quas habet partes obtundere & ſuffocare ſatagens; donec tandem, ſi ex uberiore quantitatis augmento virium quoque fiat acceſſio, eum ſuccumbere faciat extinguatque penitùs.

2. Hâc

2. Hâc eâdem de causâ qui valdè pingueſcunt, celeriter ſeneſcunt, ſterileſcunt denique. Nam in hujuſmodi, ob frigoris dominium, Calor nativus fractis viribus langueſcens, vix conſervando Individuo, nedum propagandæ Speciei, idoneus eſt; cùm Semen prolificum valdè ſpirituoſum eſſe debeat, ac proinde ex Concoctione omnium optimâ proficiſci: Hinc Pingues tum Viri tum Mulieres minùs Seminis quàm macilentæ gignunt, minúſque Venerem expetunt. Hinc Hirci, quantumvis omnium Animantium ſalaciſſimi, vix tamen coeunt ſi quando pingueſcant admodùm, niſi priùs paſtorum Curâ in ſtatum reducantur macilentiorem. Quid quòd ipſas quoque vites dum hirceſcunt, ſterileſcere etiam compertum ſit.

3. Porrò, ſi *Ariſtoteli* fidem adhibere æquum eſt, intereunt nonnunquam Oves à Renibus Sevo undique obſeptis. Hoc autem dolori ac ſyderationi inde ſecutæ tribuendum eſt; quæ quidem à flatibus humoribúſque intercluſis provenire noſcitur: Idem aliquando hominibus quoque contingere poteſt; Quibus etenim languida ac ſedentaria vivendi ratio, eò quòd alimentum non æqualiter, uti debet, diſtribuatur, Pinguedo in Meſenterio, Omento, totóque congeritur Abdomine; ubi ſtagnat quaſi, tandémque coaleſcit,

imò in ingentem quandoque accreſcit molem, Hydropis cujuſdam ſpeciem ſimulans; unde Sterilitas & reliquarum Corporis partium extenuatio inſequuntur. Ex ignoratione verarum hujus morbi cauſarum rectæque eundem curandi methodi, quamplurimi periêre. Cujus rei luculentam narrat hiſtoriam *Hildanus* de illuſtri quâdam Fœminâ ab abundantiâ Pinguedinis viſcera (aliàs illæſa) comprimentis eorúmque actiones impedientis peremptâ; nonnullis Medicis mortem ipſius in morbi diuturnitatem imperitè refundentibus.

Cent. vi. ob. 97.

4. Hactenùs de malis à Pinguedine *Nativâ* ſeu *Internâ* cauſatis; jam de incommodis *Externæ* Pinguedinis ac Olei ſive illa intùs ſumantur, ſive etiam extrà applicentur. Nam vetuſtæ nuces ſi oleoſiores ſint Caput dolore afficiunt; pinguia omnia intempeſtivè data nauſeam, alvi fluxum, flatúſque efficiunt; ipſúmque oleum oculis ſtillatim infuſum, lachrymas, ophthalmiámque inducit. Præterea, cum partes laxatæ adeò debilitantur, ut ad depellendos humores ad ſe advectos ſat vigoris non habeant, ſi nimio jam plùs flacceſcentes oleo illinas, eas ſanè omninò peſſundabis: Hinc nervis cæſis nudíſve, ut & vulneribus profundis infuſum Oleum, iiſdem adverſiſſimum, imò planè exitiale

tiale eſt: A fluxu namque humorum inde aucto, & (ut ita dicam) deturpato, ſordidiſſimum & male olens redditur ulcus. Quid narrem cum eodem *Hildano* Cent. 1. Ruſtici cujuſdam Eryſipelas phlegmonô- ob. 82. des ab oleo roſaceo poſt dolores, inflammationem, atque alia ſymptomata graviſſima, in Gangrænam tranſlatum? Unde oleoſa omnia aut quovis modo pinguia in eo ſuſpecta ſunt morbo; nam obſtruendo poros tranſpirationem intercipiunt, ac vapores putridos in parte affectâ detinent.

5. Ut dicta præcaveantur mala vel ſaltem amoveantur jam introducta, quid adipem liquefaciat, aut, pro contrarietate quam adverſus Pinguedinem exercet, ejuſdem præpediat generationem, perſcrutandum eſt. In primis itaque cùm diſgregare Caloris proprium ſit, ideò exercitium motúſque (caloris utpote Cauſæ) ad liquefactionem conducunt. Eandem ob cauſam perfricatio corpus concalefaciens Hydropem putatitium diſſolvit, alimentum minutatim diſtrahit, pinguedinem denique, ſi quâ in parte redundet, in reliquas Corporis partes æquabiliter diffundit; quò fit, ût totum Corpus ſucculentiorem ubique rotundiorémque habitum induat, & quaquaversùm augeatur. Plurimùm autem

Motui

Motui hâc in re tribuendum argumento eſt, quòd Reni dextro in omnibus ferè Animalibus minus adnaſcaturPinguedinis, ob ejus lateris motum ſiccitatémq; quæ ipſam liquare ac conſumere nata ſunt.

6. Si quis ad macilentum Corporis habitum ſe reducere ſatagit, exerceat ſe jejunus adhuc, dum calet comedat, tenui & debili utatur nutrimento : tale enim facillimè ac citiſſimè abſumitur & parùm ſolidi poſt ſe relinquit, vinum dilutum præpotet, hujuſmodi ſiquidem appetitum obtundit, famem enecat, ſuo quoque gradu calefacit adurítque; Obſoniis è Seſamo & rebus præpinguibus victitet: Nam iſtiuſmodi edulia plus debito ſatiant; dúmque diutiùs (ut ſuprà diximus) in ventriculo manent nec in Corporis habitum ritè diſpeſcuntur, eundem prægravant, laxandóque partes orexim deſtruunt: Semel in die cibum ſumat; cavendum tamen nè id in tepidis fiat Balneis, nè, ut dictum eſt, in frigidis externíſque partibus congeletur adeps; illotus maneat, nudus deambulet, ſuper durum recumbat ſtratum, ita namque levior erit ſomnus, corpúſque ſiccius. Jejunus etiam & illotus vomat; venæſectionem, cucurbitulas ſiccas; frictiones cum pannis aſperioribus vel cum Sale & Nitro manè & veſperi frequentet; purget non rarò:

rarò: Diuretica ac ſudorifica calidiora non parcè adhibeat; ab aceto denique nequaquam temperet, ut quo tum ob Saporem tum ob tenuitatem nihil magis Pinguedini contrarium ſit.

SECTIO SEXTA.

De Pinguium intùs ſumptorum & extrinſecùs applicatorum Commodis.

1. EX Olei incommodis paulò ante expoſitis, quid cavendum ſit nè impingamus, quâve inſiſtendum methodo quò ipſius commoda rectè eliciamus, colligi poterit. Hoc namque ſi Animalium membris applicemus, gradu adeò mediocri ut ex unâ parte Senſuum functiones non præpediat, ex alterâ autem major inde fiat partium agilitas, ad Sanitatem profectò viréſque non parùm conferet; eò quòd dum vaſa perlabitur, à putredine humores potenter defendit. Eâ ſcilicet eſt indole, ut Corpus, ob partium tenuitatem, ab obſtructionibus liberet, omnia pervadat, ac genio ſuo verè mellito imbuat: nec tamen interim humorum viſciditatem & coagulationem permittit;

permittit; defeſſis quoque labore membris oleum aquæ mixum inunctúmque, auxilium ac levamen præbet.

2. Valet etiam ad propellendam Ebrietatem, & præſumptum in peſſimo illo bibendi Marte ſtrenuos reddit bibones palmâque donat. Ob temperamentum è diametro oppoſitum, cruſtaceis ſiccis & friabilibus inſectorum naturis uſque adeo inimicum eſt, ut vel ſolo tactu ea occîdat; præſertim ſi horum caput eodem oblitum, exponatur Soli. Dolores etiam quos Boves in pedibus ſentiunt, auferentur illicò, ſi eorum cornua cerâ, oleo, picéve illinas.

3. Venenorum corrodentium vim obtundit prælibatum oleum, dentéſque eorum frangit, adeò ut innoxiè ſumi poſſint. Cauſtica enim partibus valdè acribus armata ſunt, & præ caloris exceſſu ad veneni naturam propè accedunt; unde, haud ſecùs atque uſtulatio ab igne, cutem à carne dilacerant: His Antidoti propriæ vice fungitur Oleum; quod lentore ſuo particulis inde emiſſis adhærens, eaſdémque emolliens, ſeu veriùs lævigans, cutem ſæpiùs inunctam ab hujuſmodi Eroſione immunem ſervat.

4. Eſt quoque Butyrum indolis haud multùm abſimilis, ſive condiendi ſive præſervandi facultatem ſpectes: Hinc venenis reſiſtit, imò peſti; unde in tempore

pore Contagii manè cum pane ſumptum plurimùm commendatur, & venenatos vapores è mineralibus erumpentes, qui pulmones lædunt Capútque intercluſo Senſuum officio ſopiunt & evertunt, innoxios reddit. Lubricitate & humiditate ſuâ materiæ in pulmonibus impactæ facilem reditum præſtat; fauces aſperámque arteriam lævigat & tuſſiendi difficultatem lenit. Narrat *Foreſtus* de Puero trium annorum & dimidii, qui inſcius Arſenicum hauſerat jure piſcium commixtum, illæſus tamen evaſit, eò quòd non parvam butyri copiam prælibaverat; cùm tamen Famula, quæ id minùs fecerat, *mortem in ollâ* eâ vix aut ne vix evaſit; ut non immeritò *Dioſcorides* butyrum æquè ac oleum in iſtiuſmodi periculis adhibendum præceperit. Valet etiam adverſus branchum & catarrhum ſuffocativum, ſive id intùs ſumatur, ſive exteriùs applicetur. l. 2. b. 54.

5. Verùm, cùm Butyrum, Pingue, & Oleum Emplaſtrica & ſuppurantia ſint, quâ demùm ratione quibúſve modis id efficiant, conſiderandum eſt. Hoc autem in primis conſtat, quæcunque ſuppurant ea omnia moderatè calefacere, ſeu non ultra ſecundum Caloris gradum provehi; qui cum debilior ſit quàm ut poros Corporis aperire poſſit, non impedit quò

minùs

minùs præ nativâ quam habent humiditate eoſdem occludant, unde humidas illas particulas quas tranſpirando exhalari oportebat, imo calorem quoque ipſum in iis implicatum, intra Corpus detinent. Ex hiſce cauſis dicto ordine diſpoſitis coctionem quandam fieri neceſſe eſt; cujus ope (eâdem propemodum ratione quâ Caro in Lebete aquâ oppleto igníque ſuperpoſito) Succi caſeoſi partes comminuuntur; donec ſolutâ ac diſruptâ viſciditate, commixtíſque inde, ſeu potiùs confuſis, humoribus (Sero ſcilicet & Sueco) *Pus* generatur. Quòd ſi Emplaſtrum è rebus intenſo calore præditis conſtet, vehementer digeret calefaciétque; unde fiet ut, meatibus apertis, vapores coctioni iſti neceſſarii effluant; exiccabitur itaque Pars, Pus autem non conficietur.

6. Ob hanc virtutem ſpiracula intercludendi indéque partes humidulas, nè vel elabantur ſudore vel halitu evolent, incarcerandi, admonuit nos *Hippocrates*, nè partes præ ardore æſtivo nimiùm ſiccæ evadant, veſtes oleo imbutas & ſordidas induere. Cujus hâc in re præceptis aſtipulatur Experientia; teſtans chirothecas unguento vel oleo delibutas adverſus ſudores aliáſque hujuſmodi à calore æſtivo illatas injurias, manus communire:

Proſunt

Proſunt præterea unctuoſa omnia adverſus morbos à recurſu humorum natos; evocant quippe iſtos ad curſum & motum naturalem inter Cutem Carnémque, niſi nimiùm introrſus irrepſerint, aut inſignis adfuerit naturæ debilitas, aut ſuccus denique inde extrahendus fuerit viſcoſior. Patet autem hoc frequentiùs in febribus Tertianâ, Quartanâ, & Hecticâ; necnon in Caro, Phrenitide, dolore dentium, peripneumoniâ, pleuritide, tuſſi, ventriculi ardore, cardialgiâ, ſingultu, arthritide & podagrâ.

7. Sunt etiam Pinguia, ſub quocunque demùm genere cenſentur, omnia Anodyna; eò quòd partes emolliant dilaténtq; Adhibentur etiam adverſus tumores, niſi metuendus ſit nimii humoris affluxus; in Colicis item doloribus ſi Convulſionum periculum fuerit adjunctum, aliiſque morbis ex materiâ impactâ oriundis. Salubriter etiam applicantur in nervorum tenſionibus, atque humiditatis nativæ abſumptione; in Spaſmo quoque proveniente ex Hypercatharſi ab Helleboro, Balneum tepidum ex oleo aut hydredæo ſaluberrimum compertum eſt.

8. Intùs ſumpta unctuoſa eodem modo Lumbricos enecant quo (ut ſuperiùs diximus) hydrargyrum: Adeps hircinus dyſentericis ſalutaris eſt; teneſmo quoq;

laborantibus

laborantibus non ſine optimo ſucceſſu injicitur; eò quòd citò concreſcens acrimoniam morborum iſtorum morſúmque retundat ac mitiget, alvum denique ſiſtat. Eandem ob cauſam puſtulæ in labiis erumpentes, ſi Cutem demas eáſque bovino inungas Sevo, abſque magno negotio ſanantur.

9. Priuſquam diſcurſum noſtrum de Pinguedine claudamus, non incongruum erit qualia è Pinguedine noſtrâ deſumantur Prognoſtica levi calamo percurrere. Hæc, ſi vi morbi liqueſcat, maximum vitæ periculum vitaliſve alicujus partis imminere diſpendium, documento eſt. Eliquatio iſta ex ſudore urinâque cognoſci poterit. Pinguedines urinæ ſupernatantes, telis aranearum ſimiles mali ominis ſunt. Significant enim colliquationem pinguedinis ejus quæ Sanguini ineſt, vel illius quæ Renibus accreſcit totóve diffunditur Corpore. Exerit autem ſeſe Colliquatio iſta per tranſpirationem inſenſibilem, & ſudorem etiam quando à febribus diaphoreticis ſeu colliquativis oritur. Harum tria cenſentur genera; Ardentes ſcilicet, Peſtilentes, & Hecticæ: Si iſtarum Prima graſſetur, Calor ad ipſius pænè ignis naturam evehitur; unde Carnem, humoréſque eos qui tenues, pingues & facile ſolubiles ſunt, depaſcitur abſumítque.

b ſumitque. Quia itaque, ut ex inſigni gracileſcentiâ conſtat, febre iſtâ laboranti exhauriuntur Spiritus & humores, aliquatenus etiam partes ſolidæ, deficiunt profectò ipſi quæcunque ad Papaſmum neceſſaria ſunt; unde infirmitate extremâ pænè confectum eſſe hujuſmodi concludi poterit. Hinc itaque convenit Prognoſticon, Naſus acutus, Oculi concavi, collapſa Tempora, frigidæ contractæque Aures, atque imis partibus leviter contortæ, Cutis circa frontem dura, rigens & arida; in totâ facie Color aut niger, aut pallidus, aut livens, aut plumbeus: Quæ ſi adſint, atque aliunde conſtet iſta omnia à febre, non autem à vigiliis, inediâ, vel alvi profluvio proficiſci; in mortis periculo conſtitutum eſſe ægrum præſagiendum eſt.

10. Eſt & alia Febris ardentis ſpecies, quæ magis conſpicuo & ſenſibili modo (utpote cujus calor moderatior eſt) liquefaciat: Ab hâc itaque, ſi valde patuli ſint cutis pori, Adeps per ſudorem tranſcolabitur; dum per alvum urinámque craſſiores ipſius extruduntur partes. Quamvis Colliquatio de quâ agimus non neceſſariò ad Peſtem pertineat, niſi ſimul Ardor Febrilis conjunctus fuerit (qui, cùm patentiſſima Liquefactionis cauſa ſit, eam proinde in occultam refefre qua-

litatem, uti Peſtem nonnulli, intolerandæ profectò inſcitiæ eſt) tamen Sudorem Anglicum, aliàſque Febres peſtilentes quæ colliquandi vim habent, in hanc claſſem reponere, tum memorabile ſudandi ſymptoma, tum communis Authorum conſenſus omninò mihi ſuadent. At neque ab his ſejungenda eſt Febris Peſtilentialis Hectica (ſiqua datur) colliquativa de quâ *Galenus* de Præſag. ex Pulſ. l. 9. c. 4. nec manifeſta illa Adipis & Pinguedinis liquefactio, quæ in Maraſmo incipiente animadvertitur.

SECTIO SEPTIMA.

De nobilioribus Pinguium intùs ſumptorum Effectibus.

1. JAm tempus vocat, ut ad utiliores Pinguedinis in Corpore noſtro Effectus deſcendamus. Unum in primis eúmque valdè notabilem (utpote quotidianum) ſimúlque utiliſſimum, Somnum videlicet, accuratiori Minervâ perſequemur. Circa hunc tria præcipuè commemorabimus, atque (ni vanum nobis Augurium) manifeſtiſſimâ donabimus Lu:e. Pinguedinem nempe eſſe veram Somni Cauſam; item quo pacto Somnus

ex

ex Pingui proveniat; quiſnam denique ulterior Effectus è Somno ſubſequatur, novorum ſcilicet Spirituum generatio, unde præcipuæ hujus Inſtituti parti, Spiritus *viz.* è Pinguedine oriri, luculentum profectò, uti ſperamus, acceſſurum eſt Argumentum.

2. Ut itaque ad propoſitum accingamur opus. Experientiæ teſtimonium primò advocandum eſt. Hanc etenim ſi interroges, vel juratò reſpondebit, Nos ciborum pinguium eſu ſomnolentos, ſtupidos, & pigros effici. Hujuſmodi ſunt Cereviſia noſtras fortis, vinum, ac menſa opipera; præſertim ſi admixtâ dulcedine condîta fuerit. Dulcia enim, cùm (ut dictum eſt) ſint Pinguia quædam, in Somno proinde conciliando partes quoq; ſuas vendicare ipſa, neceſſe eſt; hinc mulſum & hydromel, ſpiritúſque quæ è Sacchâro elicitur fortiſſimus celerrimè inebriant & ſtupefaciunt. Idem præſtant Lolium, Mandragora, Papaver, Opium, Hyoſcyamus, Styrax, Allium, Crocus, ſemen Cannabis, Anethum, Tabacum, Lupulus, Coculus Indiæ, Nuces-moſchatæ. Quæ quidem omnia pinguibus annumeranda ſunt, cùm è pingui Solo enaſcantur, ſuccóque nutriantur opimo. His accenſendi ſunt ſpiritus è baccis & floribus Sambuci, è Cerafis, Roſíſque.

3. Notandum autem, Pinguia ea ad Somnum inducendum efficaciſſima eſſe quæ ſunt facilè inflammabilia. Ex his maximi nominis ſunt Vinum & Opium; quorum hoc, ſtupefaciendi vim amittit poſt evaporationem ſuper ignem; illud, excitatâ flammâ, uſtulatum, vigorem perdit, effœtúmque redditur: Unde vini Spiritus, longè citiùs quàm Vinum ipſum, ſtupefacit & inebriat. Acetum è contrà, cùm Spiritu deſtituatur, non Somnum ſed vigilias facit. Hinc redditur ratio, quare Opium & reliqua ſoporifera in Febribus & Hecticis quandoq; ſomnum noncauſent; virtute, ſcilicet, eorum ob calorem debitò ferventiorem, unico quaſi momento liquefactâ, atque in aërem reſolutâ; unde biliosis & naturâ præcalidis iſtiuſmodi Pinguia quæ ſubitò flammam concipiunt, loco Somni Pervigilium faciunt; prout accidit Puero illi quem à vini potu nunquam ampliùs dormiviſſe *Galenus* narrat.

4. Non omninò parergon aut inopportunum eſt, ſi, datâ hâc occaſione, Vini cum Opio congruitatem ac medicum utriuſque uſum paucis perſtringamus. Ab horum utroque redduntur Homines hilares, audaces, futiles, garruli, ad bellum atque Venerem promptiores, feroces ad pugnam ineundam ejuſdémque incommoda

moda fortiſſimè & ſtrenuiſſimè perferre idonei. Et, ſicut Ebrietati ſemel dediti adeò bibendi cupiditate vincuntur, ut vix unquam deinceps frugi fiant (eſt enim vinoſitas humoris cujuſdam libido pænè in naturam ex conſuetudine tranſiens) ita Opio quoque aſſueti ejus uſum deponendi (licèt ſummâ id conentur diligentiâ, imò talis victoriæ adipiſcendi cauſa faſtidioſiſſimum animi deliquium, aliáque ſymptomata graviſſima perpetiantur) poteſtatem non habent, niſi ſuccedanei loco eidem ſubſtituatur liberior vini Cretici, pipere & aromatibus alterati, hauſtus. Ab utroque etiam, immodicè ſumentes torpidi, ſtolidi, inconſtantes, ſtupidi, attoniti & Inſani fiunt.

5. Speciatim verò vini dulcis virtus maximè ſpectatur in Tuſſi, cui etiam multum adjumenti confert Opium, interdum etiam integre ſanat; quod quidem perfecit (ut *Dioſcorides* exiſtimat) ſiſtendo diſtillationes, atque ita humorem noxium concoquendo faciliùs. Porrò, à ſtudio nimis immoderato curíſque edacibus ob rei amiſſæ vel nondum acquiſitæ abſentiam, vigiliæ, timórque proveniunt, quæ Cerebrum peſſimis efficiunt modis. Hiſce malis efficaciſſimè ſuccurrit vini Congium; hilaritatem etenim atque Somnum inducendo, animi vigorem reparat ac

Melancholiæ illius ob Spiritus exhauſtos præſentaneum eſt remedium : unde dictum *Hippocratis*, *Ebrii fiunt præſentium malorum oblivioſi, ac futurorum bonorum fœcundâ ſpe beantur.* Quid quòd animi quoque tranquillitatem Inebriationi (modò rariſſima ea ſit) debere Homines compertum eſt ; cui proinde *Cato*, quantumvis ſeverus, *Solon* prudens, & ipſe *Archeſilaus* indulſerunt : Nec fortaſſe exercere detractavit Stoicorum ſanctiſſimus *Seneca* quod ipſemet his verbis collaudavit. *Nonnunquam & uſque ad Ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, ſed ut deprimat curas —— ut morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur.* Verùm peſſimus vino utendi modus, nimiùm jam (proh pudor !) inolitus, vel rectum ipſius uſum, veluti Oſtraciſmo quodam, exulare juſſit ; & modum tenendi difficultas ipſum profectò modum, mediocritatémque laudabilem dehoneſtavit atque in Orci pomœria, tanquam neceſſarium vitiorum incentivum relegavit.

De Fatibus.

De Tranquil.

7. Denique, cùm in vino Calor & Humiditas cum Pinguedine conſociatæ ſint, idcircò, pro diverſis bibentium temperamentis, diverſos ſortietur effectus, eóſq; aliquando contrarios : Eo prorſus modo quo Ignis alia exiccat, alia humefacit, glaciem utique liquefacit, Salem verò indurat.

indurat. Calidos itaque & ſiccos, Iracundos, litigantes, pugnaces, & inſanos: Alios, taciturnos, tardiores, penitúſque elanguidos facit. Haud aliâ ratione quàm quâ Balnea res humidas & remiſſu faciles ſolvunt infirmántque. Siccos & frigidos, miſericordes & lachrymabundos reddit: Frigidos & humidos, modò timidos, & taciturnos, modò eloquentes, fidentes, petulantes, atque ad amandum proclives; perinde ac ſi qualitas ea quæ optimæ eſt indolis (Pinguedo, ſcilicet) reliquas ſibi ſocias deviciſſet ac conſopiviſſet.

8. Quòd verò Syncopæ, peſti, febríque malignæ medentur vinum, id efficit Spirituum reparando deliquium; de quo inferiùs ſuo loco diſſerendum eſt.

9. Concluſum itaque eſto, Somnum à Pinguedine proficiſci: Quo verò pacto inde oriatur proximè diſquirendum. Ut certiſſimis progrediamur paſſibus, Naturæ præeuntis Ductum veſtigiatim inſequemur. Fingamus itaque (ſeu veriùs pro certo ponamus) Pinguedinem in cibis potúque latitantem intra ventriculum recipi; primùm omnium quod menti occurrit, eſt, Caloris nativi ope aperiri aſſumptorum partes, indéque diſcludi ſubtiliſſimas quaſdam particulas; hoc eſt, plurimùm ignis aut aëris, nonnihil

aquæ, parùm autem Terræ in temperamento ſuo complectentes; ſeu, quod perinde eſt, fumos verè oleoſos. Neque difficile eſt hariolari quò, ſive quam partem verſus, iter ſuum directuræ ſint iſtiuſmodi particulæ craſſioris jam materiei pondere defœcatæ, ac liberè ventriculum ac vaſa circumvolitantes: Experimur ſiquidem Pinguia in univerſum omnia, cujuſcunque demùm generis illa ſint, etiam cùm, præ rudiore adhuc mole, deorſum premuntur, ad ſummum tamen contendere, cæteríſque mixtis ſupernatare; Non dubium eſt igitur quin puriores jam atque expeditiores redditæ, inclusíſque ignis evectæ alis, ad totius corpori Arcem ſubvolaturi ſint, Caput, ſi qua via pateat: patere autem eam, & quidem multiplicem, nemo qui Anatomen à limine ſalutârit inficias ibit. Quare impingentes in Cerebrum, pro ſubtilitate ſuâ parvulas cellulas ipſius poróſque penetrant, pro viſcoſitate autem in iiſdem hærent, ibíque præ delectatione, eodem modo quo Dulcedo in Linguæ poris, diutiùs detineatur, nec facilè ab objectorum externorum incurſu pulpamentum iſtud avelli à ſe ſuſtineat. Obſident itaq; Cerebrum undique exteriùs, interiùs opplent, meatúſque per quos Spiritus (quos vocant) Animales tranſire debebant,

bant, ubivis obſtruunt. Hinc fit ab operatione Senſuum ac proinde à motibus illis qui ab eâ pendere ſolent ceſſatio & quies: quas quidem Sentiendi & Movendi Inducias *Somnum* appellamus. Hactenus Ratio ex genuinâ verarum cauſarum inveſtigatione: videamus jam, qualia veritati huic ſuffragia Experientia allatura ſit. Id autem in primis conſtat, à frigidis & ſiccis Somnum fugari, unde ex lege contrariorum ad eum adducendum vim habere oportet calida & humida; quæ qualitates in Pingui non deſiderantur. Reſtat, ut Exempla conſulamus.

10. Nauta quidam, teſte *Foreſto*, à ſolo odore Cereviſiæ recentis quam in Navi vehebat, ſpiraculis undique occluſis, primùm Somno ſopitus, mox exanimatus eſt. Idem accidit duobus Monachis, qui, cum noctu cellam Cereviſiariam ingreſſi ſunt, ut florem è cereviſiâ recenti ebullientem exportarent, candelâ fortè extinctâ, ac januâ quæ eos foràs deduceret non inventâ, ambo, redeunte die, mortui reperti ſunt. Incutiunt etiam ſoporem vapores ab aquarum hypnoticarum deſtillatione exhalantes, forſan & fumi carbonum ſulphuríſque, non ob craſſitiem ſuam lethales ſunt (in cœlo namque atque aëre craſſiore iſtis liberiùs & innoxiè ſperamus) ſed fumi oleoſi ac flammabiles

l. 9. in Schol. obſer 2.

flammabiles inde evecti vertigine quâdam ſomnolentâ ac ſtupore ſenſum primùm eripiunt, deinde, ob vaporis exceſſum, ipſam quoque vitam. Narrat *Bontius* quoſdam ex immodico Nucum-moſchatarum eſu, integrum diem naturalem aut plus eo ſine ſenſu & motu, tanquam Caro correptos, jacuiſſe. Refert etiam *Lobelius* fœminam quandam Anglam, gravidam, ſumptis decem vel duodecim nucibus myriſticis, ebriam deliraſſe; & *Mathiolus* Ambarum vino infuſum temulentiam efficere, quod idem quoque Lignum Aloes reſinoſum efficere cognoſcitur.

De Medicinâ Indorum. c. xx.

11. Ex dictis elicitur, Somni à rebus pinguibus effectionem per ſpirituoſos (ut ita dicam) oleoſóſque vapores in Cerebrum ſubmiſſos, modo ſuperiùs declarato, peragi; unde Narcotica ferè omnia odorabilia ſunt; & ab utriſque fluxus quidam partium tenuium ſive Spirituum pinguiorum in Caput ſubvehuntur, quos Anathymiaſes nominare ſolemus.

12. Ulteriùs deducitur Ebrietatem, Somnum, Saporem, Carum, Epilepſiam, & Apoplexiam, ipſam denique quandoq; *Mortem* ab iiſdem cauſis, gradu tantummodò diſcriminatis, proficiſci. Nam, ſi Cerebrum à dictis fumis eoúſque tantùm delibutum fuerit, ut Senſus non niſi languidè, Ratio autem valde imperfectè officiis

ciis fungatur ſuis, *Ebrietas* dicitur: Si pleniùs ab iiſdem obſidentur ac penitiùs occupetur, adeò ut Sentiendi facultas inhabilis & quaſi intermortua jaceat, Rationis autem non niſi umbra quædam ſuperſtet, & in phantaſiæ (ut ita dicam) Cœmiterio, ubi mens, pro tempore veluti extincta, ac ſepulta jacet, atque in Inſomniis obambulat, *Somnus*, vel, (ſi gravior ſit,) *Sopor* nuncupatur. Quòd ſi obſtipatio Cerebri valde vehemens ſit, occupétque materia ſomnifera ventriculum cerebri, non tamen impacta ſit, fiet *Carus:* ubi verò impacta fuerit, eóque vehementiæ proceſſerit, ut ad motus quoſdam etiam à ſenſationis vi non immediatè pendentes, ſe exporrexerit eóſque intercluſerit; ſupervenit *Epilepſiæ* ſpecies quædam, quam altiori adhuc ſuperat gradu *Apoplexia.* Denique ſi vapores ſoporiferi vel inebriantes ingenti copiâ ſeu violentiâ ingeſti Cerebrum planè obruant, adeo ut à cauſarum naturalium vi excuti inde nequeant, malorum ultimum inſequitur *Mors.*

13. Hæc generatim dicta ſunto. Addenda ſunt aliqua quò diſcurſui noſtro lux accedat copioſior. Non minora damna ab Ebrietate aliquando quàm ab Opio proveniunt. *Si quis Ebrius repentè obmuteſcat, convulſus moritur, niſi Febris incidens

* Hippoc. v. Aphor. l. v.

incidens eum corripiat, aut quo tempore Crapula ſolvi ſolet, eloquatur. Temulentiæ autem diſcrimina dantur reſpectu habitûs corporis & potûs conditione. Qui cute ſunt perſpirabili non facilè ebrii fient, aut, ſi quando fient, citò reſipiſcent; unde in Regionibus calidis ſtrenuiſſimi inveniuntur potatores (Spirituum præſertim) minúſque ex bibendo incommodi percipiunt; ut apud Vulgus in Inſulâ *Barbados* ipſemet obſervavi. Quod ad potûs rationem attinet, gravior Capitis dolor, diutior ebrietas ſitíſque à craſſo & dulci, quàm à tenui & acido provenire ſolet: cujus rei ratio ex doctrinâ jam traditâ petenda eſt. Porrò, hujuſmodi fumi à Calore elevantur, ſupprimuntur à Frigore; hinc potatores natatione ad ſe redeunt, & Lanio quidam noſtras qui poculis quotidie ſe ingurgitavit, pro libitu reſipuit, Capite in dolio aquæ pleno immerſo.

14. De Somni causâ per ſe jam diximus; promovetur autem, ſeu adjuvatur ratione conſtitutionis, temporis, loci, ætatíſque. Hinc Capitones & Obeſi, ſomniculoſi ſunt; hinc hyeme quàm æſtate locíſque paluſtribus (ubi bituminoſi vaporis copia) quàm aliis, profundior Somnus. Hinc denique Infantes graviore ſepeliuntur ſopore, ob Capitis magnitudinem,

dinem, humiditatem, & mollitiem cum edacitate conjunctam. Quam ob cauſam cùm eorum Calor debilis ſit, humorémque ſoporiferum attenuare impotens, morbo comitiali ſæpè corripiuntur. Eſt enim morbus iſte Somni imago quædam, ſeu verius ipſemet Somnus; nam non rarò dormientes vel nondum perfectè evigilantes invadit; unde Comitiales morbi aut convulſiones Epilepticæ, ſi ante pubertatem obtingant, curationem admittant, quòd ſi ad vigeſimum quintum ætatis annum protrahantur, vel circa id tempus aut poſtea obvenerint, medicorum induſtriam omninò ludunt: nam, ſi quando cum materiâ ſomnum provocante, aliquam cognationem habeant, neque excuti poſſint eâ ætate in quâ calor nativus ἔκλαμψιν ſuam habet ſummóque vigore præditus eſt, vix unquam profectò deinceps eas excutiendas certiſſimè concludendum videtur. Nonnunquam autem ab hujuſmodi cauſis dictos proficiſci morbos, præter jam declarata, non parùm inde ſuademur, quòd anguillæ eſus, vini generoſi & vaporoſi potus, olfactus bituminis, picis, gagatis (cujus ſuffitu antiqui Servos emendos an eſſent Epileptici, explorabant) cornuum, ſulphuris, & alii, (quæ omnia pingui vapore abundant) Epilepſias quaſdam excitare ſoleant: unde

Hippocr. 7. Aphor. l. v.

unde Infantibus (atque, ipſorum causâ, Nutricibus) cereviſia fortis ac vinum ſpirituoſum interdicuntur; tenella ſiquidem adhuc eorum Cerebra à fumis adeò præpotentibus facillimè percelluntur, obruuntúrque.

15. Hucuſque Fumos delicatiores è rebus pinguibus coctionis operâ elicitos ad Cerebrum uſque perſecuti ſumus; vidimus eoſdem viſcidâ quâdam ac proinde craſſiuſculâ ſeu opacâ nebulâ Cerebrum circumfundentes, ac caliginoſam Somni noctem eidem obducentes; Reſtat ut, quid de fumis iſtis deinceps fiat, quíſve ex hoſpitio eorum in Cerebro effectus proximè ſecuturus ſit, paucis diſcurramus.

16. Cùm itaque nullus omninò reperiatur in Naturâ locus à jugi agendi patiendíque curſu immunis, neceſſe eſt ut agat in illos Cerebrum, reagant ipſi ac uterque ſe invicem tranſmutare ſatagant; quare cùm dicti Fumi tenuiſſimæ ſubſtantiæ, Cerebrum autem conſiſtentiæ ſolidioris ſit, faciliùs naturam ſuam exuent illi, alienam induent, ídque ſecundum indolem cauſarum, hoc eſt, Agenti efficaciam, Patientis verò capacitatem. Experimur autem Pinguia omnia (præcipuè verò fumos ex illis enatos) facillimè à caloris operatione in flammulam quandam

dam converti, eámque pro materiæ è quâ fit genio diverſam, imò admoto propiùs igne pænè in inſtanti flammeſcere, eâ prorſus celeritate, quâ fumus lucernæ nuper extinctæ à vicinâ corripitur flammâ: Cùm itaque in Cerebri officinâ adſit Calor, idem quoque ibidem ſequetur effectus, quantumvis, præ caloris debilitate & mediocritate, multò tardiùs: Æquum enim eſt ut, quo gradu minoratur agendi virtus, eodem pariter multiplicetur temporis ratio. In Cerebri itaq; ambitu cellulíſque hærebunt dicti fumi, illúdque torpefacient, donec paulatim (citiùs tardiúſve prout plus minúſve inflammabilitatis in materiâ, caloríſve in Cerebro reperitur) in ſubtiliorem adhuc ſubſtantiam, quam *Spiritum* vocamus, attenuetur. Hæc, flammulæ cujuſdem tenuiſſimæ & veluti ſubhumidæ, temperamento hominis congeneæ, inſtar habens, motu celerrimo, ſingulos Cerebri pervadit ſinus, latera ipſius ubique fodit, pungítque; mentis feneſtras intrat, & Phantaſiam (ejuſdem dormitorium) undique irradiat; donec tandem, veluti novo quodam exorto Sole, & in ipſos pænè Animi oculos jubar ſuum dirigente, eóſque perſtringente, mentis Tenebræ excuſſo Sopore evaneſcant, Homóque evigilet.

17. Hinc

17. Hinc cernitur ratio, cur his quàm illis diuturnior Somnus; item cur matutino tempore, vel Somno penitùs exuto, novus ac veluti redivivus menti accrescat vigor; denique, quare Insomnia dormientibus obveniant; ideò, scilicet, quia à fumis soporosis non usquequaque occupetur Cerebrum; unde rerum imaginibus in spatiis illis liberè circumvolitandi & partem eam quæ imaginativâ virtute prædita est, percutiendi datur copia: vel quòd, præ caliditate Cerebri, in aliquâ citiùs parte quàm in reliquis gignantur Spiritus motúmque incipiant; quâ de causâ qui profundissimo merguntur Somno, nunquam somniant. Hæc & multa ejusmodi alia ex discursu hîc præmisso explicatu facillima. Verùm crassiori Minervâ ista nobis commemoranda potiùs quàm tractanda sunt; monet siquidem nos locus, ut, cùm nativitatem Spirituum, quibus nulla alia Humani corporis pars dignior, propiúsve ad Animam accedens, jam attigerimus, uberiorem tandem de iisdem discursum instituamus.

SECTIO

SECTIO OCTAVA.

De Sanguinis parte Igneâ, ſeu de Spiritu. Et primò de Spirituum Naturâ ac Diſtinctione.

1. ZEno Stoicus Animam nihil aliud eſſe quàm *Ignem* philoſophatus eſt. Autumabat forſan (naturæ verè Spiritalis ſeu Incorporeæ ignarus) nihil reperiri in Homine Spiritu Animali ſublimius; quem proinde, ob agilitatem vigorémque, non immeritò Igni aſſimilavit. Mens etenim humana, quamvis veritatis metam vel, ut ita dicam, *punctum* non ſemper attingat, eam tamen extra veri cancellos omninò aberrare, ipſius natura à Sapientiâ conditrice ſtabilita nequaquam permittit.

2. Verùm, nè inter multifarias de Spiritibus opiniones vel erremus ipſi, vel Lectorem in devios Erroris Labyrinthos agamus, ſtatuendum primò quid de Spiritibus in Communi dicendum ſit, deinde diſtinctè explicandum quænam de diſcrimine & naturâ eorum ſit nobis mens.

3. Dari autem Spiritus in Corpore & Sanguine Animantium, nemo qui philoſophiæ ſtudium ſummis, quod ajunt, de-

guſtavit labris, inficias iverit: Reperiri ſiquidem in ſingulis mixtis partes ſubtiliores & ad Ignis naturam plus minúſve appropinquantes (quas *Spirituum* nomine intelligendas cupimus) etiam ſtupidiſſimis ſurdiſſimiſque aperta clamat Experientia; nec, quamdiu in Communi loquimur, plus difficultatis aut myſterii in Spiritibus Sanguinis ſeu Corporis animantis quàm in Spiritu Vini, Aniſi, aliarúmve quarumlibet rerum latêre exiſtimandum eſt.

4. Hinc in Spirituum (eorum dico qui Animantium ſunt) diſtinctionem recto eóque certiſſimo tramite deducimur; nam, cùm à Scientiâ doceamur Logicâ, omnem diſtinctionem intra aliquod genus ſpeciémve per plus minúſque, ſive per majorem minorémve communis notionis participationem fieri, certè, ſi Spiritus hujuſmodi in communi nihil aliud ſint quàm ſubtiliores ſive rariores Sanguinis partes, nullâ aliâ profectò re (quod ad Intrinſecam attinet) à ſe invicem diffidebunt, præterquam in eo quod hi illis magis minúſve ſubtiles ſint: Nondum itaque perſpicio quare recedendum ſit ab uſu vocabulorum à veteranis Medicis approbatorum; *Spirituum*, dico, *Animalium*, *Vitalium*, ac *Naturalium*, modò cum grano Salis eadem intelligamus; hoc eſt,

dum

dum iſtos gradu tantùm quoad Intrinſeca diſcrepare (quantumvis quoad Extrinſeca, officium ſcilicet, locum, aliósque reſpectus diſcriminentur) inconcuſsè animo infigamus.

5. Vivunt itaque vegetántque ubique in Sanguine (præſertim in arteriis) partes quædam rariores, eædémque proinde agilitate, ac virtute præditæ. Compertum autem eſt, Mixta quælibet, etiam humida, modò calida ea ſint, poros habere apertos (uti patet in aptitudine quam habet ad congelationem aqua priùs tepefacta) unde partes maximè igneæ, utpote alatiſſimæ & libertatis valdè affectantes, ſiquà detur via, perpetuò evolaturæ ſunt: præſertim verò ſi continuo motu agitatæ & fugatæ fuerint. Quod nè fiat, provida cavit Natura, indomitos illos fugaciſſimósque errones intra denſas venarum, præcipuè verò arteriarum (quo in loco magis furibundi ſunt) tunicas, veluti intra qualos, compingendo. Verùm, cùm ex perpetuo Sanguinis motu ad Cerebrum delatæ fuerint, ubi ob vaſorum exilitatem, partim pertranſeundi difficultate premuntur, partim tenuitate parietum carceris quo concluduntur, quandam libertatis anſam acquirunt, expirant, exudántque, vel (ſi mavis) exprimuntur ubivis in ſubſtantiam Cerebri; à quo

iterùm implicitæ, fugam occæpturæ, intercipiuntur, aſſervantúrque, in nervos poſtmodùm datâ occaſione exprimendæ; minori quidem copiâ, ſi ſenſatione tantùm, majore verò, ſi motu etiam impetúque opus fuerit.

6. Relinqui autem indidem in Cerebro particulas quaſdam humidiuſculas, pinguedinis tenuiſſimæ redolentes indolem, omninò neceſſe eſt: Nam, cùm Cerebrum omninò tangant, utpote per ipſum tranſcolatæ, neque uſquequaque igneæ ſint, ſed aliquam in ſe humiditatem etiamdum retineant, fieri certè non poteſt quin aliquam ſui partem, eámque humidiorem, Cerebro affixam & veluti conglutinatam poſt ſe relinquant. An verò ad ipſius nutritionem conducant aliquo modo particulæ iſtæ craſſiores, eâque de causâ Cerebrum udum, pingue atque ad Spiritus animales deinceps recipiendos aptior evadat capacitas, in medio relinquimus. Neque noſtri inſtituti eſt penitùs excutere, utrum Nervis, præter officium jam dictum, etiam ſuccum nutritium in ſingulas Corporis partes amandandi ſeu *diſpenſandi*, incumbat munus. Id tantùm dicendum, ingentibus planè difficultatibus premi opinionem iſtam. Nam, ut taceamus nullam patere viam quà ad Cerebrum vehatur congruè ſuccus iſte præterquam

terquam per venas & arterias, nedum eâ quantitate ut Corpori nutriendo ſatis ſit; illud profectò inſuperabile videtur quòd, cùm nervos ad Spiritus animales modò huc modò illuc pro quâlibet oblatâ occaſione, hoc eſt, quoties Senſatione opus eſt (quod millies in die non poteſt non contingere) deferendos præſtò eſſe oporteat, ídqi permagnâ etiam copiâ quando motus peragendus eſt, eos interim ſucci nutritii ſarcinis in ſingula Corporis membra comportandis occupare, cui vel ſolùm amplexando vix capacitatem habent, explicatu ſanè difficillimum eſt, & duos conſtantes Naturæ curſus ſibi invicem perpetuò contravenire ſeſéque mutuò impedire planè cogit.

7. Nonnullis equidem placere novi, diſtributionem Succi hujus à ventriculo & meſenterio per nervulos à Sexto pari derivatos inuniverſum Corpus fieri. Verùm, ut pace tantorum virorum dicam, neque perfecta concoctio in conſiſtentiam illam quæ ad nutritiouem requiritur in iis locis perfici poteſt, neque datur in Naturâ exuctio illa quam in hâc occaſione fingere oportet, nedum electiva illa extractio particularum craſſiorum è Chylo adhuc crudiſſimo, in quarum coalitione nutritio conſiſtit; neque in ipſis nervis Calor ineſt exuctum liquorem, in ſolidiorem ſubſtantiam

ſtantiam elaborare potens. Præterea, licèt commercium aliquod nervorum Sexti paris cum cæteris Corporis nervis reperiri poterit (quod quidem evidenter inveſtigare malè torquet Anatomicos) tamen, cùm nervos omnes à Cerebro & medullâ Spinali oriri, atque in ipſis radicem habere ab omnibus conceſſum ſit, conſonat profectò ſolenni Naturæ curſui, ut, quicquid ſucci deferant, inde hauriatur primò, atque in univerſa Corporis membra per ramuſculos deinceps ſpargatur; non autem ut, vice verſâ, ab extremis imbibatur ramulis, indéque præpoſtero ordine, derivetur in truncum; niſi cogat id circulationis neceſſitas, qualem in ſucco reperiri nutritio difficile eſt affirmare. Denique, ſi ea pars chyli quæ ſucco huic conficiendo apta eſt ex eodem, dum adhuc detinetur in ventriculo vel meſenterio, ebibatur, unde, quæſo, tanta ipſius in venis copia ut in emiſſo ſanguine cæteras pænè omnes ipſius partes exæquare videatur?

8. Nullam autem dari Succi hujus intra nervos circulationem omninò mihi perſuaſum eſt. Nam ut taceam, impervios eſſe huic nervos quà exiliſſimi ſunt, & ad ſuccum adeò craſſum liberè tranſmittendum inhabiles; ſanè Circulatio iſta, modo detur, cùm ſit humoris valdè nobilis,

lis, atque in vaſis item prænobilibus, in ingens profectò aliquod Naturæ commodum cedat neceſſe eſt: quare retrogradus ejuſdem curſus, utpote Naturæ maximè noxius, valvularum oppoſitione (prout ubique in venis fit) caveri debuerat; quas tamen in nervis nullibi reperiri certiſſimum eſt. Præterea, agitatur in orbem Sanguis, tum ut motûs perennitate calorem conſervet, tum etiam ut à Corde vigore novo animetur, deperditúmque recuperet Spiritum; cùm tamen nondum liqueat, cui bono Succus iſte circumagatur in Nervis: neque enim vel motu adeò lento quicquam prorſus ei accedit caloris, neque in nervi truncum relapſus quicquam inde utilitatis percipit. Ulteriùs, à Cordis pulſu circumpelli Sanguinem compertum eſt; à quo verò Agente hàc potius quam illàc (ſiquidem omninò) vertatur in gyrum Succus, non conſtat. Denique, cùm eum non ab Agente aliquo violento (quale eſt Cor reſpectu Sanguinis) rotari notiſſimum ſit, reſtat ut lentâ quâdam ſubſequentis humoris truſione uſque promoveatur. Opplebuntur itaq; ubique, turgeſcéntque, imò diſtendentur quotquot ſunt Nervi; unde nulla omninò Spiritibus ultrò citróque commeantibus non intercluſa relinquetur via, quos tamen per nervos devehi manifeſtum eſt,

cùm intercepto læsóve nervo ſenſatio ceſſet; occlusâ utique (ut mox probabitur) quà particulæ ab objectis ad Cerebrum perferri debebant vel interturbatâ ſemitâ.

9. Porrò, uti manifeſtò ex dictis conſtat ſubtiliſſimas Sanguinis partes, loci anguſtiis & motûs impetu preſſas, in vicini Cerebri receptacula excludi; ita non minùs certum eſt, non omnem protinùs Spirituoſitatem ſimul ſemélque ibidem exhalari, ſed magnam ejus partem etiamdum in Sanguine eo qui perenni circulo rotatus Cerebrum jam à tergo reliquerit, detineri. Quæ, cùm craſſiuſcula ſit, ad craſſiores proinde, ac (ut ita dicam) materialiores Naturæ operationes, quales ſunt Vitales ac Naturales, deſtinabitur: &, ſi quando ſubtilior aliqua operatio (qualis eſt Generatio) obeunda ſit, ibi ad ſubtiliores etiam Spiritus eliciendos eædem ferè cauſæ eædémque circumſtantiæ, quas in Cerebro nuper recenſuimus, concurrere oportebit; uti ſeminis ortum conſideranti manifeſtum erit.

10. Sunt itaque Spiritus igneæ cujuſdam naturæ tenui humido nequaquam oneratæ ſeu prægravatæ, ſed ad juſtam mediocritatem temperatæ: Maximâ autem ex parte ignem redolent; hinc facilè in perfectam nonnunquam erumpunt flammam

mam, quando nimirùm copioſiores ac puriores ſunt, uti *Servio Tullo* & *Iulo* contigiſſe perhibetur; quibus proinde ingentes animi dotes, futurúmque imperium non temerè vaticinati ſunt *Tanaquil* Regina & *Anchiſes* avus. Nec deſunt qui aſſerant, Igneas quæ Apoſtolos inſidebant Linguas, nihil aliud fuiſſe quàm ipſos Spiritus ultra Naturæ vires à charitate divinâ effervefactos accenſóſque, ac pyramidali acumine, flammarum more, ipſorum Capita innoxiè lambentes; cujus rei fides apud Authores eſto. Nec à dictâ veritate abludit ipſum *Extinctionis* vocabulum, quod tum Igni tum Vitæ quoq; noſtræ, quæ in Spiritibus conſiſtit, à communi uſu appropriatur. Tales autem omninò debebant eſſe, quò Animæ & Corporis aptæ eſſent quaſi Fibulæ. Cùm enim Corpora quò rariora eò puriora, atque in ratione Entis nobiliora ſint, ſapientiſſimum profectò erat, quò rerum ordo immediatis aſſurgat gradibus, ut Spiritus, quibus præ cæteris corporis noſtri partibus, propius cum Animâ intercedit commercium, rariſſimam (quantum rerum natura ferre potuit) hoc eſt, pænè igneam naturam ſaperent.

SECTIO

SECTIO NONA.

De Lumine, Spiritibus attribui ſolito.

1. QUod ut diſtinctiùs eluceſcat, conſiderabimus qualiter cum Igne conſentiant Spiritus; *Lumine* ſcilicet, *Calore*, *Motu*, ac *Materiâ*.

2. Eſſe autem *Lumen* corpoream quandam ſubſtantiam, inde ſuademur, quòd Solis radii, inſtar flammæ, aut cujuſlibet alterius corporis, in quamlibet figuram & angulum ferantur, incidant, indéque reflectantur: Item, quòd Sensûs ita afficiant organum, ut corrumpant aliquando; denique, quòd Regio ea calidior ſit, quò Solis radii directo jubare feruntur, temperatior cùm obliquè ſparguntur; frigore è contrà rigeſcat, ſi eiſdem penitùs deſtituatur: quæ omnia, cùm agendi patiendíque cum aliis corporibus innuant commercium, communitatem quoque materiei inter ea reperiri neceſſariò concludunt. Eſt itaque Lumen, Subſtantia Corporea, eáque non alia quàm Ignis; cujus effluvia ſeu particulæ ſi longè latéq; diffundantur, eâque de causâ adeò attenuentur ac longinquo à fonte itinere depurentur, ut oculos tantummodò, poros eorum

eorum ſubintrando, perſtringant, non autem temperamentum ipſorum vel cujuſlibet alterius corporis partis (niſi rarò) ſenſibiliter alterandi vim habeant, *Lumen* dicuntur. Si verò ob majorem copiam, vel materiæ quâcum junguntur denſitatem, Tactûs ſenſum afficere ac immutare potentes ſint, nominantur *Calor*. Si deniq; ad fomitem quem arripit in ignem convertendum efficaciam habeant, tum demùm iidem *Ignis* appellatione donari aſſolent.

3. Ex dictis deducitur, eatenùs tantùm Spiritibus Lumen attribui, quatenùs *illuminant*: Id autem muneris præſtant non oculo exteriori, ſed interiori, Phantaſiæ ſcilicet; Experimur ſiquidem nos oculis etiam clauſis, quaſdam rerum antè viſarum contueri imagines; quæ certè perceptio cùm à facultate ſiat materiali, à materiali proinde Lumine intùs illuſtrante eam effici, vel invitis fatendum eſt. Minùs quidem propriè Lumen dici *hoc*, eò quòd ſæpiùs illi alteri quàm huic applicetur ea vox, non ibimus inficias: Impropriiſſimè autem loqui, imò peſſimè errare eos exiſtimo qui, metaphorâ à *Galeno* uſurpatâ deluſi, fingunt ſibi *Illuſtrationem* neſcio quam Spirituum in ſingula pænè Corporis membra immiſſam, præcipuè verò in Sanguine regnantem:

Nam

Nam, quale (proh Scientiæ fidem!) est Lumen illud quod visibile non est, nec oculo sive exteriori, sive interiori se spectandum exhibet, sed corpore opaco clausum manet? Pari profectò ratione, etiam Silicem luminosum esse seu habere lumen contendere licebit, eò quòd, attritu chalybis ignis vel lumen inde excuti possit. Quare, id tantum sibi voluit *Galenus*, Quòd, sicut Lumen in perpetuo fluxu consistit, ideóque emanatrice Fontis virtute nunquam non indiget; ita Spiritus, operationi motuíque vario sese perpetim impendentes, absumuntur usque & intereunt, ac proinde à facultate eâ à quâ spiritus procreantur atque immittuntur ejúsque jugi influxu necessariò dependent. Verùm tempus monet ut, quid discursus iste de Lumine ad Medicam contemplationem actionémve conducat, propiùs intueamur.

4. Cùm Spiritus ad igneam naturam propè accedant, Lumen autem sit Ignis quidam, congruum est ut lumen Spiritibus congeneum quasi sit; quare, cùm unumquodque à suo simili confortetur, lædatur autem ab oppositio, hinc à grato Lucis conspectu exhilaramur, à tenebrarum verò præsentiâ, veluti antipathiâ quâdam, contristamur, reformidamus, ac perhorrescimus. Ad horum autem affectuum utrumlibet suscipiendum proclives

clives ſumus pro ratione circumſtantiarum vel innatâ corporis diſpoſitione: Melancholicis etenim mens (quod idem de triſtitiâ aliunde natâ obrutis dicendum eſt) ob Spiritum craſſum, impurum, malè coctum, turbidum & caliginoſum, undique tenebris circundatur; unde horrore metûs, & triſtitiæ gravedine plurimùm affliguntur hujuſmodi, nec pro rei momento formidant, ſed prout phantaſia depravata figuris ac coloribus horrendis objecta depingit atque obumbrat. Præterea, Lumen Solare, utpote Ignium ſubtiliſſimus, Spiritus noſtros, rarefacit; quò fit, ut exultabundis agilius ſit & levitet quaſi corpus; contrà, tenebræ eoſdem condenſant, unde craſſitie & pigrâ quâdam torpedine deprimuntur. Ad quam fortaſſe cauſam referenda eſt *Hippocratis* obſervatio, Omnem ſcilicet morbum ad veſperam exacerbari; à receſſu namq; caloris, vel, quod perinde eſt, Lucis Solaris; quæ Spiritibus congeneâ quâdam virtute refocillandis, imò forſan generandis apta eſt, affectum hunc oriundum exiſtimamus; præſertim, cùm à Spirituum diſpoſitione pendere ſenſûs omnis dolorifici gravamen & levamen, compertius ſit quàm ut probatione egeat. Epid. l. 4.

5. Luminoſa autem Spirituum indoles nullâ in re magis ſpectatur quàm in inſtrumentalitate

ſtrumentalitate quam habet ad ſubſerviendum animæ in operationibus intellectualibus. Anima ſiquidem, cùm pro hoc ſtatu unum Ens cum Corpore componat, ſeu veriùs *ſit* (utut Naturâ ab eodem diſcrepet) nihil proinde abſque inſtrumento ſuo conjuncto in univerſum agere, nedum intelligere valet; imò, uti in amentibus, dormientibus, ebriis, atque ægrotantibus liquet, eatenùs intelligendi perfectione prædita eſt, quatenùs Spiritus defæcatiores ſunt, vel curſus eorum minimè intercluſus. Quare ſubtilitas, claritas, ac proinde Siccitas ſpirituum perſpicaciorem intelligendi aciem menti confert; unde dictum illud, *Animus ſiccus prudentiſſimus eſt*; imò ad temperiem præexiſtentis corporis accommodari ipſam Animam tum Philoſophorum nobiliſſimi autumant, tum Theologiæ quoque peccati originalis ignorantiæque inde ſecutæ transfuſionem explicanti maximè profectò conſonum eſt —— Verùm, nè ſapiamus ultrà crepidam, iſta Theologis tractanda venerabundi relinquemus.

SECTIO

SECTIO DECIMA.

De Spirituum Calore.

1. PRoximè ſequitur *Calor*; ejus Naturam jam explicuimus cùm de ejuſdem ab Igne & Lumine diſtinctione egimus; ubi definitum eſt, Particulas igneas *Calorem* nuncupari, quando ob majorem ſive copiam ſive materiæ denſitatem Corpora alia ſenſibiliter immutandi vim habent. Reſtat itaque tantùm ut effectus ipſius deinceps proſequamur; hoc eſt, ut, de motibus ſeu mutationibus ab eodem provenientibus, Sermonem inſtituamus.

2. Præterire autem opinionem illam de Calore innato per totum vitæ curſum durante, nihil aliud eſſet quàm prodere Naturæ cauſam, cujus, pro modulo noſtro, ſuſcepimus defenſionem. Nam, ſi hujus Authores id tantum ſibi velint, manere ſcilicet in corpore vim Calorem quendam primigenio illi jam abſumpto ſimilem reproducendi, nihil abſonum rerum naturis protulerint; quòd ſi eundem ipſum, qui in primo Corporis ortu inditus fuit, Calorem per ſæcula durare (ut mihi videntur) intellexerint, nihil ſanè magis ἀφιλόσοφον dici vel fingi potuit. Nam, cùm Calor

Calor nihil aliud ſit quam igneæ quædam particulæ in Corpore calefacto diſſeminatæ, Ignis autem (ut notiſſimum eſt) in perpetuo conſiſtat fluxu; fieri profectò non poteſt, ut vel per unicum temporis momentum, nedum per integrum vitæ curriculum idem permaneat. Supponit enim rem, de cujus pænè Eſſentiâ eſt, ut ſine intermiſſione moveatur, lapidis cujuſdam Adamantini ac immobilis inſtar, per ſæcula quieſcere.

3. Similis eſt farinæ, gratis (vel invitâ Naturâ) acceptata hypotheſis illa, inditam eſſe Animantibus cœleſtem quandam auram ultra Elementorum agentem vires, & Spiritûs ſeu calidi innati in functionibus Animæ obeundis fungentem munere. Hujus confutationem Cl. *Harveus* aggreſſus eſt, partim quoque abſolvit. Verùm, dum tantum operæ collocavit explicando cuidam *Ariſtotelis* loco, ſanúmque ſenſum verbis ad errorem exprimendum natis adaptando, fœdiſſimum hunc errorem ab ipſis penitùs evulſiſſe radicibus nequaquam mihi videtur: Liberè itaque profiteor, neminem equidem me religioſiùs *Ariſtotelem* ſuſpicere ac venerari (modò tamen ipſum hominem eſſe meminero) cui etiam me plurimum debere lubens agnoſco; jurare tamen in cujuſquam verba, Medico-Philoſopho indignum

De Generat. Exer. 71.

indignum arbitror, præſertim ubi manifeſti erroris coarguendus eſt. Nuſquam autem id labis *Ariſtoteli* æquiùs impingi poteſt, quàm cùm à religione, eâque falsâ (Ethniciſmo, ſcilicet) deluſus, militiæ cœli cultum aſtruere ſatagit. Hinc quintam Cœlorum orbibus ſtelliſque affinxit ſubſtantiam, eámque omnis mutationis expertem atque à corruptione immunem. Hinc, ſi quando nodus vindice adeò ſublimi dignus inciderit, vel effectûs alicujus præſtantiſſimi aſſignanda ſit cauſa, protinùs religione tactus Divinitatem aliquam inexplicabilem, cujus ne veſtigium quidem ullibi repertum, veluti *Deum è machinâ* in Naturæ ſcenam inducit. Hinc denique ubicunque in hanc cæſpitandi occaſionem incidit ubique ſibimet diſſimillimus, imò contrarius eſt. Hoc autem, in loco ab *Harvéo* ibidem citato, cumprimis obtigiſſe videtur. Nam, cùm in doctrinâ *Ariſtotelicâ* nullum ſtatuatur principium, ſive ſolenni illo ſolidius, ſive profundius, nempe ibi intercludi penitùs omne agendi patiendíque commercium ubi communitas materiei, hoc eſt, Potentiæ, Capacitatis ſive Aptitudinis deeſt, deeſſe autem ponitur inter Cœleſtia atque ea quæ ſub Lunâ ſunt, deneganda erit profectò omnis illorum in hæc agendi ratio.

4. Dicendum itaque, ſtolidum eſſe in Philoſophiâ, imò Primæ ac Demonſtraliſſimæ Philoſophiæ oppoſitum *materiarum* ſub propriis notionibus (ſive *quatenus materiæ*) diverſitatem ponere. Nam, cùm materia ſive capacitas ad notionem Entis ſeu Subſtantiæ (materiatæ, dico) ſit eo ipſo capacitas ad omne illud quod ſub talis Entis ambitu comprehenditur, ſi altera fingatur materia; erit ea profectò capacitas ad nihil, quo quid abſurdius excogitari poteſt? Proximè ſequitur quòd, cùm Ens materiatum ſive Corpus idem ſit & Quantum ſeu Diviſibile, habentis autem Quantitatem nullæ aliæ dari poſſint differentiæ Intrinſecæ præterquam magis minúſve, hoc eſt, perfectiùs impetfectiúſve eam poſſidentia, ſive (quod perinde eſt) magis & minùs Diviſibilia, ſeu Rara & Denſa, prima idcircò diviſio Corporis ſeu Quanti per Raritatem & Denſitatem fiet. Harum quatuor gradus valdè notabiles & conſpicuos propoſuit Natura, obſervârunt, ſenſu uſúque rerum duce, Vulgus; aſtipulante etiam Arte, Philoſophi; quibus dotata corpora *Elementa* nuncupamus. Quænam itaque eſt actio illa quæ Elementorum vires ſuperat? Nulla certè quæ intra ampliſſimam Rarefactionis aut Condenſationis ditionem reperitur: Hæ autem totam naturæ

naturæ corporeæ exhauriunt Sphæram, unde ad alterationes quaſcunque Secundarum (ut vocant) qualitatum tenus, imò ad motum etiam localem efficiendum activitatem ſuam exporrigunt. Quare latio Sanguinis in circulum, nutritio, ſeminis confectio, imò fœtûs formatio, ſunt *intra vires Elementorum* miſtione demiſtionéque ad infinita pænè actionum genera perficienda attemperatorum.

5. Neque eo nomine excuſandus *Ariſtoteles* quod Semen ſit quaſi *Inſtrumentum Dei*, ac proinde divinum ſive cœleſte quiddam ipſi tribuendum ſit. Neque enim jure magis peculiari Inſtrumentum Dei cenſenda ſunt Sanguis Seménve quando modo ſibi naturali operantur, quàm mens mea quando intelligit, vel alia quævis res creata, cum poſitâ motione, actionem naturæ ſuæ congruam exercet. Verum quidem eſt vim motricem in communi ab Intelligentiis, quæ ſublimioris ſunt eſſentiæ, provenire, eò quòd nullum Corpus ſemet movendi virtutem habeat: Cæterùm, Corpora primò mota communi influxu commovere longè aliud eſt quàm particulares movendi modos qui ab ipſarum naturâ rerum petendi ſunt, immiſſis ignotis atque inexplicabilibus entitatulis tribuere. Faceſſat itaque etátque foràs etiam ipſe Scientiarum Pater

Ariſtoteles hujuſmodi ſi attulerit. Faceſſat è Philoſophiæ ac Medicinæ Lyceo opinio iſta, relegetúrque in Spatium imaginarium unà cum *qualitatibus occultis, totâ ſubſtantiâ* cæteríſqae iſtiuſmodi fictitiis nomenclaturis, mentis planè inanibus, ut quæ non minùs quàm illa ſcientiam deſtruant, dum cauſarum effectuúmque ordinem turbant. Indigna ſanè quæ à Viris doctis vel commemorentur, & ſolùm digna quæ ab Agyrtis aliiſque hujuſmodi præſtigiatoribus ad illudendum popello magno hiatu oſtententur.

SECTIO UNDECIMA.

De motibus nonnullis è Spiritu ortis; Sanguinis nempe Circulatione, Nutritione, & tandem Generatione.

1. MOtum Spirituum quod attinet, cùm movere ſolius ex cunctis elementis proprium ſit Ignis, ſtatuendum omninò cunctas in Humano corpore mutationes, quales quales demùm eæ ſint, parti igneæ ſeu Spiritui Motuíque ipſius acceptas eſſe referendas. Quibus autem modis peragantur illæ diſtinctiùs aperiendum.

2. Ut

2. Ut itaque impræſentiarum prætereamus motum illum ſubluſtrem in *Puncto Saliente* qui perfectionum inde ſubſequentium motuum leve quoddam videtur rudimentum, primò omnium perſtringendum eſt è quibus cauſis celeberrima illa Sanguinis *in circulum latio* perficiatur. Ea autem mihi videtur hoc pacto fieri. Spiritus Sanguine incluſi à communiſſimo Naturæ motu (Gravitationis dico & Levitationis) ſollicitantur undique atque irritantur: Quare, cùm agilitate perinſigni prædíti ſint ac ſurſum nitantur, néque illorsùm rectâ ſe lineâ attollere valeant, eam proinde partem verſus quà commodior eſt via, iter arripient. Obliquè itaque pro vaſorum ſitu, hoc eſt in circulum ferentur, ſecúmque unà Sanguinem cui immerguntur trahent. Quòd verò hàc potiùs quàm illàc circumrotetur Sanguis, à vaſorum cordíſque diſpoſitione petenda eſt ratio. Neque enim putandum eſt hujuſmodi motum ab unicâ aliquâ pendere cauſâ; imò non dubitaverim affirmare, ab exhalatione Spirituum quos dixi ſubtiliſſimorum in Cerebrum, Sanguinem inde revertentem magis gravitare atque ad perennem totius maſſæ circuitionem aliquâ ex parte conducere.

3. Ex hoc motu ad *Nutritionem* recto curſu delabimur. Actus ſiquidem in orbem

Sanguis, ſimulac in arteriarum extremitates pervenerit, unde per habitum corporis (certè per anguſtiſſimos nec facilè pervios meatus) in venas tranſcolandus eſt, tenuiſſimas ac humidiſſimas, hoc eſt, ſubpinguiuſculas ſui particulas (quales Spirituum compoſitionem ingredi dictum eſt) caſeoſis, ut inferiùs dicetur, tenaciter hærentes hîc, illîc, ubique inter tranſeundum inviſcatas poſt ſe relinquit. Hæ, quiete jam donatæ & ſolidioribus adhæreſcentes partibus, à moderato frigore incraſſantur, atque à viciniâ Carnis cui adjunguntur, partim eandem paulatim induunt naturam, partim ad præexiſtentis carnis condimentum quaſi, imò ad ejuſdem (quæ aliàs nimis friabilis futura eſſet) conſiſtentiam & conſervationem permanſuræ ſunt. Non poteſt autem fieri quin magna ignearum particularum copia ſubpinguibus illis intimè mixta, ceſſantibus iis atque in Nutritionem abeuntibus, iiſdem implicata ibidem detineatur, Ignículi itaque iſti motu jam deſtituti magnâ ex parte ſopientur protinùs, atque extinguentur. Quare, depaupèretur neceſſe eſt Sanguis ille in venas tanto Spirituum ac Pinguedinis (è quâ à motu ac calore Spiritus naſci oportebat) diſpendio tranſfuſus. Ad fontem itaque Caloris à naturæ curſu protrúditur; ubi verò prope eum

eum accesserit, circa venas subclavias obvios habet canaliculos quosdam novum in ipsas guttatim stillantes chylum, eâdemq; operâ novum Pinguedinis proventum ad Spiritus generandos advehentes. Chylus iste intra venas receptus ab admisti calore Sanguinis primùm disponitur, mox pleno gurgite defertur in Cor, ubi, pinguedine ipsius partim ex caloris effervescentiâ attenuatâ, partim ex vehementi motu agitatâ atque immutatâ, nova pirituum soboles (haud secùs atq; ex allisu Silicis scintillæ) inde exilit, atque in arterias provehitur, Sanguinem ibi contentum ditatura atque ad nutritionem aliásque operationes à Spiritibus præstandas confortatura. Unde accidit Sanguinem arteriosum naturam sapere oleosam, uti *Carolus Piso* demonstrare conatur.

4. Nutritivo motui succedat *Generativus*; de quo si sensum meum aperiam, licèt eum ab aliorum judicio nonnihil discrepantem, meo profectò usus jure (utì spero) videbor. Idonea Spirituum copia per varios arteriarum mæandros anfractúsque in testiculos defertur, ubi circa ductum nervosum seu testium medullam succo illi qui in nervis albicat commiscetur, unáque cum illo in humorem quendam valdè spirituosum elaboratur, quem *Semen* appellamus. In ipso

autem coitu, ob ſucci illius conſiſtentiam, projiciendi impetum, calorémque qui tunc temporis viget eximium, vehementer excitati Spiritus in Semine incluſi, neque tamen è complexu materiæ illius ſubtiliſſimè viſcidæ, licèt id maximè conentur, eluctari valentes, eam in bullulas quaſdam ſpumoſas (magnum fœcunditatis futuræ argumentum) ubique æquabiliter ſparſas attollunt. Semine ita rarefacto atque in uteri vaginam injecto quandoque verò intra ejuſdem Labia tantùm, turgida atque ad concipiendum diſpoſita, affuſo, primò Spiritus iſte ruptis quaſi, novo accedente calore, bullularum carceribus exilientes, cutem, cui ob diſtentionem voluptatémque quam percipit aperiuntur pori, & vaſorum orificia nullo negotio penetrant (craſſiore Seminis parte, decerpto jam Spiritûs flore foràs plerumque prolabente) deinde in gyrum circulantis Sanguinis jam appulſi unà quoque circumvehuntur, &, pro inſigni quo præditi ſunt vigore variâque fœminarum indole, totius maſſæ turbationem alióſque affectus, Conceptionis indices, efficiunt: In his etenim reperitur novus iuſolitúſque Calor, indebita pulsûs celeritas ac vehementia, præcipuè verò in arteriis jugularibus; item colli venarúmq; ipſius intumeſcentia præ quod uſu veniebat

ebat majuſcula. In aliis autem horror quidam, articulorum dolor, ſtridor dentium, membrorum tenſio, oſcitatio, uteri denique ſegnities & torpor. Quod ſi alvi ſolutio mox à conceptione contingat, tunc ſymptomata iſta (utpote caloris ac plenitudinis effecta) vix aut nè vix quidem eveniunt.

5. Ubi verò Fœmina calore iſto qui mox moleſtiæ onerique eſſe incipit, vigorata fuerit, Natura, quæ humoribus etiam excrementitiis excipiendis apta præparavit conceptacula, non minùs ſollicita eſt Spiritum quoque iſtum ad Speciei conſervationem in loco reponere idoneo. Hunc itaque excutere ſatagens, eum unà cum Sueco Caſeoſo (communi exanguium ſanguinearúmq; partium materiâ) in quo, utpote viſcoſiori, detinetur diutiùs ac mordicùs inhæret Spiritus iſte, in Uteri Cornua, præcipuum imò proprium formandi ſtamina locum, protrudit. Quam quidem partem levi placidâque ſui inſinuatione ac calore moderato, quem humiditas quoque comitatur, diſtendit; ſimúlque eam magis turgidam, mollem, teneram, ac carnoſiorem reddit; particulas denique ipſius ſpirituoſiores rarioréſque urget uſque ac promovet, donec eaſdem in excreſcentias quaſdam, *caruncculas* ſeu *papulas* dictas, protuberare facit.

facit. Neque id mirum, cùm ab eodem ſucco in quâcunque Corporis parte ſimiles enaſcantur tumores, poſtmodùm à calore immodico in Pus convertendi; Quod idem uterinis quoque iſtis quandoque accidit; Et forſan *Hippocrates* pus iſtud ſemen eſſe genitale autumavit, dum ait;

De Mor. Mulie. l. 8 *Quibus verò ſextâ vel ſeptimâ die à Viro immiſſa prodeant putrefacta, his veriſimile eſt ab utriſque fieri, & Bilis & Salſuginis influxum.*

6. Quod ſi dictæ Cauſæ, Corruptionis Parentes, Naturæ intentionem nequaquam violent, è papulis iſtis, ab inquietudine concluſi Spiritûs, per exigua, quoad licet, foraminula erumpentis, deducuntur Staminum fila. Et, quemadmodum coaleſcentes ſtiriæ in glaciem, ac minima lini filamenta in pannum contexuntur, ita è ſtaminibus iſtis, calore vehementiori novâque materiâ ſuccedentibus, vaſa omnia omnéſque efformantur membranæ, prout à doctiſſimo Philoſophorum Principe his verbis graphicè delineatur.

De Gen. Animal. l. 2. c. 3. *Id autem à Maris ſemine affertur, quod principium ubi Fœminæ excrementum receperit, Conceptus fit: Humidis verò corpulentiis cùm incaleſcunt obducitur, ut in pulte refrigeratâ cruſtula. Corpora autem omnia cohærent & continentur lentore, quem indies jamque adactis corporibus natura*

natura accipit nervi, quæ partes animalium continet. In aliis nervo, in aliis eo quod nervis proportionatur. Cutis etiam formæ ejuſdem eſt, & vena, & membrana, & omne ejuſmodi genus. Differunt hæc inter ſe majoris minoriſve ratione, & omninò exceſſu defectúve.

7. Ubi autem modo jam explicato coaluerint membranæ, apta utique copioſioris materiæ receptacula, pari itidem gradu, caloris motûſque acceſſione factâ, ex ſpirituum in ejus centrum adactorum confluxu, veluti magis excoctum naturæ opus, naſcitur *Punctum Saliens*, rivulorum Sanguinis inde derivandi fons & origo: Poſtquam verò eò caloris evecta fuerit materia iſta ut ſublimiorem Sanguinis ſtatum attigerit, idem in venarum arteriarúmque canaliculos propagatur; quo facto mox partes Sanguineæ ex hujus, Spermaticæ verò ex ſucci ſuprà memorati acceſſu, paucis diebus interjectis, conformantur, non à virtute aliquâ utero inſitâ, ſed à ſpirituoſitate Seminis cuncta in congeneam ſibimet naturam vel perfectè vel ſaltem aliquatenùs (uti in generatione heterogeneâ) convertente. Speciatim verò de Cerebro notandum eſt, friabilius eſſe illud, nec paris cum cæteris partibus tenacitatis; unde ad ipſius compoſitionem in membranas propinquas confluit

confluit maternum Lac, halatísque partibus quæ redundabant aqueis, in consistentiam illam subpinguem albicantémque coagulatur. Lactis autem istius reliquiæ, formato jam fœtu, in ejus cibum transit; &, (licèt sub paulò densiore ac compactiore formâ) in ventriculo reperitur.

8. Porrò, tunc præcipuè ad concipiendum aptus est uterus, quando ob humorum appulsum turgescit. Maximè verò effectu isto frustratur quando Cachexiâ laborat Corpus, venæve insigni Sanguinis redundantiâ distenduntur; quò fit ut eundem motu *isto fermentante* ciendi agitandíque locus non sit reliquus; sive plenitudo hæc à mensium retentione, sive aliquâ aliâ ex causâ proveniat. Hinc observatio illa *Hippocratis*, *Venæ Sanguine plenæ genituram non suscipiunt*; Hinc mox à venæ sectione aut evacuatione debitâ Fœminæ quamplurimæ, aliàs infœcundæ, concepêrunt. Præter Plenitudinem istam obstant etiam imprægnationi Frigiditas vel Humiditas nimia, partes seminalis virtutis susceptivas, eo quo turgescunt tempore, afficientes: A Frigiditate siquidem constipantur dictæ partes, ab Humore verò Spiritus extinguuntur; quorum utrumvis si obtingat, incassùm Generationi impenditur opera.

9. Hæc

9. Hæc ſi abſint impedimenta (nimius etenim Calor ſub Sanguinis Plenitudine comprehenditur) Conceptiones frequentes ſunt ; præcipuè verò ubi partes ſuprà commemoratæ diſtenduntur, quod tunc maximè contingit, quando menſes fluere incipiunt deſinúntve. Eo namque tempore vaſorum orificia (non autem uteri Os internum) magis aperta ac pervia ſunt; per hæc itaque non per uterum ipſum profluvia iſta excernuntur. Ex diſſectione enim in patibulo ſuſpenſarum tempore evacuationis iſtius nihil prorſus Sanguinis in utero repertum fuit. Hæc autem ita ſe habere, conſideranti non difficulter patebit. Eſt enim Uteri Cervix pars laxior, atque, palati bovini inſtar, rugoſa : cujus interiorem ſi demas cutem favi ſpeciem exhibet ; ſunt etiam Labia carnea ac ſpongioſa, unde illa manifeſtiſſimè (fortaſſis etiam & iſta) apta erit cui affluant humores partes illas calefacturi, cutémque, quò dilatata Spiritibus tranſmittendis ſit habilior, aperturi ; quâ de causâ ea plerúmque Conceptionem promovent quæ magnam humorum copiam in has partes derivant ; potiſſimùm medicamentorum chalybeorum uſus frequentior. Ex oppoſito verò os uteri internum ſubſtantiæ eſt prorſus cartilagineæ ; unde neque ad humores excipiendos,

endos, neque ad intromittendum ſemen ſui apertione viam præbere idoneum videtur.

10. Neque mirandum eſt à ſolius Spiritûs activitate effecta tantæ molis produci, cùm notiſſimum ſit à ſolo Aſpidis, Viperæ, aut rabidi Canis morſu, hoc eſt, contactu, totum infici Corpus, totámque Sanguinis maſſam corrumpi; *efficitur* autem *Conceptus* (ſi credamus *Ariſtoteli*) *eodem modo quo ea quæ inquinari dicimus*. Præterea conſtat eam ſeminis partem quæ eſt Spiritûs vehiculum, ſtatim à coitione plerúmque elabi denuò, imò factâ imprægnatione, nihil prorſus in utero reperiri: Quid quòd Conceptionis effecta primò in cornubus uteri manifeſtò appareant, quæ pars ab uteri ore remotiſſima eſt, aptiſſimo verò ad influxum à corpore ſuſcipiendum ſitu poſita. Accidit denique aliquando Conceptio ubi nulla ſeminis injiciendi poſſibilitas aderat; veluti in Fœminâ illâ cui (teſte *Harveo*) clauſa erat uteri vagina, atque in Equâ cui annulis præſtructa erat coeundi via. De his itaque pronunciandum videtur ſolam ſeminis intra Labia inſperſionem vel ſaltem paulò ulteriùs projectionem, in diſpoſitis ad concipiendum conſummandæ generationi fuiſſe ſatis; quod idem ab *Aquapendente* obſervatum fuit atque

De Gene. Animal. l. 4. c. 7.

Oper. Chyrur. Pa. 1. c. 81.

atque in toto ferè Piſcium genere manifeſtiſſimum eſt: *Mas etenim* (inquit *Ariſtoteles*) *fœminam ſequens ſemen ovis aſpergit, & quæ vitale id virus contigerit, iis piſciculi enaſcuntur.* Hanc ob cauſam Maribus poſt hunc actum deeſt ea pars *Lactes* (Anglicè *Milt*) dicta, quæ hujuſmodi piſcibus pro ſemine eſt, ſolâque ipſius manet cutis in Ver proximè ſequens, quo tempore ut plurimùm gignere ſolent, denuò implenda. Hiſt. Animal. l. 6. c. 3.

SECTIO DUODECIMA.

De Motu Fermentationis.

1. NOn admodùm violatum iri methodum ſperamus ſi, arreptâ hâc occaſione, de *Fermentatione* pauca adjiciamus; utpote è quâ motuum complurium tum naturalium tum etiam præternaturalium (ſeu morbificorum) explicatio pendeat. Et ſanè, cùm de cauſâ rei alicujus quæritur, nihil ſolennius quàm in promptu habere hoc vel illud à Fermentatione effici, qui verò quænam Fermentationis iſtius adeò decantatæ ſit natura ac cauſa penitùs excutiant atque ab ipſis eruant Fundamentis, —— *vel duo vel nemo.* Neque tamen mihi mens eſt

Gaſſendianam

Gaſſendianam ſubvertere hypotheſin, quæ per plus minúſve admiſti *vacui*, hoc eſt, reverâ *Nihili*, cunctos naturæ motus adminiſtrari contendit (quis enim mentis compos non-Entis ſeu illius quod non eſt confutationem ſucipiet!) Neque ingenioſiſſimum *Carteſii* commentum tenuiſſimæ cujuſdam ſubſtantiæ immiſſione hujuſmodi motus peragi ſupponens, in quo verò collocata ſit major iſta tenuitas ſeu raritas nequaquam ſatis explicans: Id ſolùm de utrâque dicendum eſt cum ipſiſmet opinionum iſtarum Authoribus *Hypotheſes* eas eſſe; hoc eſt, propoſitionibus neque probatis neque ex ſe evidentibus nixas; quales pro Principiis, ſeu totius doctrinæ iis ſuperſtruendæ fundamentis jacere, ab ipsâ profectò Scientiæ naturâ penitùs abhorret, eóque nomine utì ingenii vim oſtentare conantibus laudabile eſſe iſtiuſmodi doctrinæ Schemata componere non inficiamur, ita viris Philoſophicis, hoc eſt effectibus Phyſicis certitudinis lucem è principiis derivatam debentibus, haud uſque adeò laudem promeretur.

2. Miſſa itaque iſta facientes, cogitationes noſtras rudi calamo ſic deſcribemus. Corpus ſeu Ens corporeum idem eſt & Quantitativum ſive affectum Quantitate: Quare, cùm omnes differentiæ

(ut

(ut vocant) *Intrinſecæ*, ſeu generis ſub quo continentur limites non excedentes, per *magis* & *minus* fieri neceſſe ſit, erit prima corporum diviſio in magis & minùs affecta Quantitate, hoc eſt magis & minus diviſibilitatis naturam participantia, ſeu *Rara* & *Denſa*. Hæc itaque duo integram Corporis naturam (quanta quanta eſt) complectuntur, eámque penitùs exhauriunt, adeò ut nullum ſit Corpus quod non ſit magis & minùs denſum aut rarum, vel ex magis & minùs talibus, utcunque diverſimodè compoſitis decompoſitiſve, conſtet. Quare, nulla quoque erit operatio corporea (Intrinſeca, dico, ſeu Alterativa, non Extranea ſeu quoad locum) quin raritatem vel denſitatem verſus devergat neceſſe ſit, ſeu, quod perinde eſt, non ſit vel Rarefactio vel Condenſatio. Rarum itaque eſt quod plus quantitatis habet ſub parvâ materiâ, Denſum è contrà quod minùs quantitatis habet ſub magnâ materiâ. Quare cùm in Fermentatione horum prius contingere experiamur, erit certè Fermentatio *Rarefactio* quædam.

3. Genus Fermentationis jam attigimus, Differentia ejuſdem proximè expiſcanda eſt, quò tandem integra ac perfecta actionis illius conſurgat definitio; quâ datâ, plenam jam naturæ ipſius com-

prehenſionem facillimè conſequemur. Cùm verò Actio omnis tum Agenti tum Paſſo eſſentialiter reſpectum implicet, de his proinde primùm inquirendum. Notum autem eſt, à Frigore denſari conſtringíque res; quare à Calore, potiſſimùm autem ab Igne, rarefieri eaſdem oportebit. Id autem, ut plurimùm, hoc pacto fieri videtur. Eâ eſt Ignis indole, ut à communi levitandi gravitandíque motu percuſſus, pro inſigni quâ pollet agilitate, quaquaversùm ſe diffundat, &, ſi ſubtiliſſimus ſit (qualis eſt Lux ſeu Flamma expanſa) ab omni puncto viſibili in omne punctum miris ſanè modis reverberetur. Quare, ſi in ſubſtantiâ fluidâ, præſertim verò modicè viſcidâ ſimúlque levi admodum rarâque, concluſus fuerit, ejuſdem particulas unà ſecum ſimul ſemélque in omnem partem diſtrahet, ac proinde rarefaciet, ſeu materiam, cui complexus hæret, majorem jam locum occupandi capacitate donabit. Hoc autem duobus modis peragi poteſt, ab Externi ſcilicet ignis (ſeu caloris) Immiſſione, atque ab Interni Excitatione. Quarum hæc *Fermentatio*, illa communiori ſignificatu *Coctio* nuncupatur. Per hujus poſterioris (utpote notioris) explicationem ad prioris notitiam complananda eſt via.

4. Coctionum notiſſima eſt ea, quæ Culinaria

Culinaria eſt, quæque in Lactis, juſculi, aliorúmque ejuſmodi ebullitione cernitur. Hæc cùm ſit, per lebetis fundum, meatibus ubique pervium, inſinuant ſeſe particulæ igneæ; pauciſſimæ in initio vix tranſitum moliuntur, & pauculas etiam liquoris partes occupant; poſtmodùm apertiùs hiantibus poris confertim irruunt ac pleniùs dominantur; unde fluidi contenti (Lactis, ſcilicet) primùm Tepor, mox Calor, ultimò autem Fervor ordine congruo ſuccedunt. Ignis iſte in Lactis viſcera intromiſſus quacunque circumvolat, præcipuè autem ſurſum enititur, ſecúmque partes elevat; quibus tamen, utpote craſſiuſculis, cùm in aërem ſubvehendis impar ſit, eæ ab aëris ambientis frigiditate repercuſſæ in lentam quandam coguntur cruſtulam; perinde ac ſi Calor, Frigoris æmulus, ſuam quoque conaretur habere glaciem. Effigit etiam bullulas quaſdam ſpumeas aëre (ſive à mixti complexibus liberato ſive à rarefactionis jam incipientis operâ de novo genito) turgidè diſtentas; maximè autem circa Lebetis latera; quæ, veluti ſuſtentacula, fluidarum evectionem particularum adjuvant ac promovent.

5. Hoc ordine, Calefactionis opus paulatim procedit, donec tandem innumera pænè Ignis coeuntia effluvia, ac

junctis viribus rarefactioni incumbentia, adeò potenter id operis exequantur ut, novæ quantitati cùm desit locus, ab imo exæstuet fundo Lactis massa, ac dimidiam ad minus sui partem in subjectum rogum sese ultura projiciat. Quem quidem effectum à Rarefactione verè dictâ sive partium earumdemmet dispansione effici, ambigi non poterit. Quid enim dicemus? Eodémne momento quo Lac provolat foràs Ignis subjecti flumen quasi in Lebetem submitti, fugitivi Lactis inundationem efficiens? An devocandum supernè aërem ad inanitatem Lebetis adimplendam? Nugæ meherculè sunt istæ, & cordato Philosopho indignæ! cùm alterum horum absque ingentis foraminis in fundo Lebetis unico pæne instanti effractione, alterum absque attractione aëris eâdem ipsâ vi eodémque momento quibus sursum protruditur explicatu impossibile sit; hoc est, utraque assertio, nullâ interim cogente necessitate, vel notissimæ experientiæ vel rerum naturis vehementer contradicit. Veræ itaque rarefactionis species est Coctio illa manifesta, quæ in exæstuatione ab igne extrinsecùs admoto, tanquam in differentiâ sui constitutivâ, consistit; quare de cæteris quoq; suo gradu, magnis componens parva, idem prorsus concludendum videatur.

6. Et

6. Et jam propè confecta res eſt. Nihil ſiquidem amplius agendum reſtat niſi ut, quo pacto particulæ igneæ, compoſito ſeu mixto ingenitæ, materiam cui inſunt in majorem attollant molem diſtinctiùs explicemus. Quod utique ſicut ab Externo Calore materiei illius partes aperiente, ac particulis igneis libertatem impertiente, denique à motu communi gravitationis eaſdem jam liberas ad agendum movendúmque ſollicitante atque excitante ſæpenumerò, imò pænè ſemper, effici non negaverim; ita ab eo ſolo proficiſci hunc effectum nemo Philoſophus affirmabit, cum quandoque aëre magis ad frigus quàm ad calorem inclinante (modò nimis intenſa frigoris aſtrictio non fuerit) Fermentatio contingat; quandoque etiam præ magnâ ignis copiâ ad Ebullitionem promoveatur, ut in Calcis vivæ in aquam, & Spiritûs Vitrioli in oleum Tartari immiſſione conſtat; quales & conſimiles effectus ſi in Caloris ambientis agilitatem referrem, amens eſſem. Spiritus itaque ignei in intimis viſceribus mixti cujuſpiam fluidi ac modicè viſcidi incarcerati, imò compediti, modò caſu aliquo in unum aliquod coeuntes punctum, modò à motu (quem diximus) communi preſſi, modò autem ab externo calore liberati ſimúlque irritati in diverſas partes

differuntur, & particulas maximè aêrias hoc eſt, rarefactu faciles, ulteriùs rarefaciunt; terreſtriores verò, utpote alteratu difficiliores, quales ſunt eæ quæ lentore ſeu viſciditate præditæ ſunt, in ſummitate, quam partem verſus maximo impetu feruntur, in prætenues (quod unum poſſunt) bullas attollunt: Unde in inſignem turgeſcit magnitudinem fermentata maſſa, & præclaro bullarum ſpumearum diademate ſupernè coronatur. Quæ omnia cùm ipſis rerum naturis maximè conſentiant & à primis humani diſcurſûs (ut mihi videtur) ac Phyſicæ Principiis petita ac deducta ſint, expecto quid paris evidentiæ ab aliis afferri poſſit, libentiſſimè, ſiquando diluxerit, eidem aſſenſurus.

SECTIO DECIMATERTIA.

De Motu voluntario, ac Temperamentorum in Mores influxu.

1, CIrcuitionem Sanguinis, Nutritionem, Generationem, & Fermentationem, quæ ſunt motus Naturales, jam attigimus; Sequitur is qui *Voluntarius* eſt & totius Corporis: cùm autem hunc à Senſatione oriri (ſaltem utplurimùm)

plurimùm) compertiſſimum ſit, de eâ proinde proximè agendum erit: Conſideranti verò, primò omnium occurrit eam vel in motu conſiſtere, vel ſaltem non abſque motu perfici; Fit enim Senſatio per Objecti in Cerebrum delationem. Perfici verò hoc nervorum interventu inde omninò ſuademur, quod intercluſo (ut dictum eſt) vel aliâs interciſo læſóve nervo, nulla ex objecti in eam partem applicatione vel alliſione ſecutura ſit perceptio. Ulteriùs aio objecti percepti moleculas intromitti in nervum ſenſorium, & vehiculo Spirituum ibi incluſorum atque à leviſſimo quovis contactu quantum poſſunt longiſſimè reſilientium ad Cerebrum perferri.

2. Haud ignarus ſum quamplurimis diſpliciturum Pronunciatum iſtud, eò quòd *Carteſius* ingenioſiſſimè (utì ſolet ubique) ſolâ continuatione nervi ad Cerebrum exporrecti id negotii peragi voluerit. Verùm monendi ſunt *Carteſiani*, utut abſque dictâ particularum tranatione, prima forſan rerum perceptio fieri queat, nequaquam tamen effici poſſe earundem *memoriam* niſi objectorum quorumlibet particulæ atque eorum naturas redolentes (ſeu veriùs participantes) in Cerebrum devectæ ibidémque detentæ de integro excitentur moveantúrque:

túrque: Evaneſcit ſiquidem ſtatim impreſſio illa in Cerebrum, cùm ſit Motus, ablato objecto; neque quicquam ibidem manet memoriam ſeu recognitionem iteraturum, niſi placeat Imagines in Cerebro ſigillatas fingere; quibus ſtabilitatem ſeu permanentiam in materiâ adeò udâ, quale eſt Cerebrum, tribuere, nihil aliud videtur quàm ſcribere in aquâ; & verba ore articulata ventis permittere cuſtodienda: Imò, licèt compactiorem aliquam partem (glandulam ſcilicet pinealem) Senſationis ſedem ſtatuas; tamen, cùm ab eodem nervulo mille objecta individualiter diverſa ad perceptionis locum deferantur, certè imaginum iſtarum unaquæque ferè ſequens deformabit delebítque antecedentem, totúmque reminiſcendi negotium conturbabit. Denique, pingas licèt ſcenam illam imaginibus utut velis diſtinctis ornatam, tamen unde, quæſo, vel à quo radio adeò directè in unum aliquod incidente Punctum, hujus potiùs quàm alicujus alterius rei recordabere? Hoc autem fieri omninò neceſſe erit, cùm Imago ſemel impreſſa ſemet iterum imprimendi, vel Cerebrum denuò afficiendi, vim non habeat. Quare, ut incommoda iſta evitemus, omninò dicendum erit (quod Ratio, Memoriæ explicatrix, planè cogit) objecti molicellas

nervorum

nervorum ope in Cerebrum ſubvehi ibiq; reponi, Spirituum motu de novo excitandas atque in Senſationis locum impingendo Memoriam effecturas. Hoc autem ſi concedamus, certè tum pervios dari nervorum meatus, tum Spiritus ibidem particularum dictarum ad Cerebrum vectores, negari non poterit.

3. Quæ objici in contrarium ſolent ab Imaginatione noſtrâ incredibilem quantitatis exiguitatem, præ Sensûs craſſitie captu difficilem, perhorreſcente, & tanquam rem impoſſibilem averſante, proficiſcuntur. Talia autem objicienti omninò incumbit, primùm ultimam diviſibilitatis quantitativæ aſſignare metam, ac ſtatuere quænam ſit magnitudo ea quâ minor dari non poſſit; quod niſi fecerit in ſabulo ædificat, dum nullo fundamento nixa opponit; argumentúmque inde deductum non legitimam Rationis, ſed ſpuriam eſſe Imaginationis Sobolem, coarguetur.

4. Affecto itaque ab objectorum effluviis Cerebro, ídque non modo quodam abſtracto ſed particulari, hoc eſt, conformiter vel difformiter ad naturam Animalis, exoritur protinùs *Inclinatio* ſeu tendentia quædam ad objectum, ſi congruum, *Averſatio* autem ab eodem, ſi inimicum fuerit: Quæ quidem duæ motus,

tus, quotquot ſunt, Animales ex æquo condividunt, ſeu binas paſſiones, eáſque facilè reliquarum principes, *Amorem* ſcilicet & *Odium* conſtituunt; adeò ut nulla ſit motio purè animalis quæ non eadem ſit vel *Proſecutio*, vel *Fuga*, vel harum unam participet, vel denique ex utrâque componatur. Quantum autem in re adeò obſcurâ mihi liquet, hoc modo peraguntur iſtæ: Objecti amici præſentia, utì ſpiritui in nervis concluſo grata eſt, ita nervos apertos eam Cerebri partem verſus relinquit; Factâ itaque ab immiſſis particulis Spirituum commotione in nervos proruent eos qui corpus ad objectum movere apti ſunt. E contrà verò, ex immiſſione particularum naturæ animalis inimicarum, moleſtantur eæ partes Cerebri ad quas pertingunt nervi illi, & (ut ferè fit) contrahuntur; unde occludentur protinùs in nervum ingreſſus; quare in utrovis caſu commoti Spiritus confluent ſtatim in nervos illos qui impetum facere antrorſum ſeu corpus promovere à Naturâ conſtituti ſunt, fiétque vel Proſecutio vel Fuga. Neque hoc conceptu difficile erit, ſi animadvertamus nihil ſolennius ubique Naturæ reperiri, quàm ut ea quæ conſimilis ſunt indolis dilatationem, quæ autem adverſæ, conſtrictionem cauſent in re quam afficiunt.

5. Hinc

5. Hinc patebit, ſepoſitis Intelligendi Volendíque virtutibus, Hominem cætera ἀόλωματον eſſe, utì etiam omni ex parte reliqua Animantia; Neque neceſſe eſt ad fictitiam Animæ ad movendum Corpus vim recurrere, perinde ac ſi ad motus locales non ſufficeret ſapientiſſimè ordinata Corporum proportio, ſed ad ſingulos pænè corporis nutus explicandos immediatus ſpiritalis Naturæ influxus accerſendus eſſet; quod profectò omnem cauſarum materialium cum effectibus propriis connexionem ſolvet, atque eâdem operâ univerſam Scientiæ Phyſicæ certitudinem peſſundabit. Stet itaque per me licet receptiſſimum juxta ac ſapientiſſimum Axioma illud, *Actiones & Paſſiones ſunt Suppoſitorum*; quo ſtabilito agit & agitur ipſe *Homo* ſecundum hanc vel illam partem, non autem ipſæ partes tanquam Entia à Corpore ſejuncta & diſtincta. Unde conſequitur, vel ab objectis jam præſentibus, vel cùm abſunt à particulis inde deciſis moveri nos diverſimodè pro variâ diſpoſitionum præjactarum indole; inter quas totam impreſſionum antecedentium ſeriem, & conſuetudines nonnullas movendi hoc vel illo modo ex ſubluſtri quâdam nec nobis ſatis animadversâ ortas experientiâ, præcipuas duco.

6. Fit

6. Fit itaque Spirituum in nervos confluxus quotieſcunque excitatio aliqua ab objecto (ſive extrinſecùs, ſive intrinſecùs vel in imaginatione præſenti) facta fuerit, quod toto fermè tempore vitæ, præterquam in Somno, contingere neceſſe eſt; in ipſo etiam, aliquando. Porrò, Nervi in Muſculos deſinunt inſeruntúrque intimiùs; quare, cùm Spiritus agillimæ ſint indolis, in eam partem quæ motum eorum terminat (hoc eſt, eidem officit) cum impetu ferentur; Magnum itaque aliquem ibidem ſemet ingerendo producturi ſunt effectum, modò ſubjectum capax ſit: Eſt autem muſculus, experientiâ teſte, contractu facillimus; Contrahetur itaque, & motus Localis incipiet. Utrum verò effectui tantæ molis inducendo ſat virium habeat ſola Spirituum inundatio, an requiratur ulteriùs arterioſi Sanguinis intercluſio, nondum mihi perſpectum eſt. Certè, ex turgeſcentiâ muſculi interceptum iri aliquatenus liberum Sanguinis circuitum à naturis rerum neutiquam abhorret; quinimò reverâ eum in diſtentione intercipi ex rubro illo quo tunc temporis partes carnoſiores ſuffunduntur colore, ipſis etiam oculis patet. Ex adverſo autem, cùm *Salutis* ipſiúſque propemodùm Animantium Vitæ interſit, ut nativa Sanguinis in circulum

latio

latio ex perpetuo obicum occurſu notabiliter non interturbetur, quod fieri oportebit ſi ad quemvis motum (ubicunq; Corporis is ſit) ſiſti aliquantiſper ibi Sanguinis curſum neceſſe fuerit, hinc ſuſpicor aliqualem illam Sanguinis arterioſi inhibitionem non ex Naturæ intentione per ſe & immediatè ad motum localem conferre, ſed vel per accidens vel ſaltem remotè.

7. Scio quid Exceptioni huic reponi poſſit, nempe nullam Sanguinis ſiſtentiam ſeu circulationis impedimentum factum iri, eò quòd, præ divaricato vaſorum ſitu, ſi communi hâc viâ progredi minùs licet, aliam tamen ineundi non defutura ſit copia: Veruntamen adhuc hæret aqua: Nam ſi tranſitio ipſius aliorſum valdè facilis fuerit, nequaquam magno aliquo conatu per muſculum iter arripiet, nec proinde eum contrahet; ſin difficilis, ſanè, cùm neque illàc neque per muſculum (præ ipſius intumeſcentiâ) via pateat, ſiſtetur, imò (ſi contractio diutiùs continuetur) ſtagnabit ibi Sanguis; quod abſque alteratione ſeu infrigidatione naturæ ipſius fieri profectò non poterit. Imò, ſi inſignis fuerit Sanguinis viſciditas, periculum meherculè erit nè impervii oppleantur meatus non abſque magnâ Animalis injuriâ. Præterea, reperiri debet aliqualis

imò

imò permagna in pulſu differentia ſiquis deditâ operâ ſimul ſemélque quamplurimos Corporis muſculos contrahere, contractóſque diu ſervare tentaverit; quod tamen exploranti mihi nequaquam innotuit. Denique, adeò celerrima & pænè inſtantanea videtur muſculorum contractio atque remiſſio, ut velociori Agenti quàm ſit Sanguis (ut qui æquabili eóque non niſi tardo motu protruditur) id negotii adſcribendum videatur.

8. In re adeò obſcurâ quidni mihi liceat meam quoque (qualisqualis ea ſit) apponere teſſeram. Videtur itaque mihi in ſubſidium Spirituum è Cerebro emiſſorum aliquid ad muſculos movendos advocandum eſſe aliud, abſque eo quòd vel interſiſtendi curſum Sanguinis metus ſit, vel à receptâ ſententiâ (ſolâ nempe Spirituum ope perfici muſculorum motum) recedendi neceſſitas. Mentem meam ſic explico. Innatantes in Sanguine Spiritus eâ ſunt agilitate ſubtilitatéque ut, continuo agitati motu, evolare perpetuò conentur: à duabus autem præcipuè cohibentur rebus; à vaſorum ſcilicet amplitudine ipſis motabundis ſat ſpatii præbente, atque ab eorundem denſitate ſeu craſſitie exitum prohibente. Quare, ubi his contraria reperiuntur, certiſſimè evolaturi ſunt: Id autem fit ubi tenuiſſimi

iſſimi ſunt vaſorum parietes, ſimúlque pertranſeundi aliqualis difficultas: Quæ duo cùm reperiantur in iis locis in quibus exiliſſima ſint vaſa, cujuſmodi ſunt Cerebrum, Teſtes, & Muſculi, ibidem exhalari & quaſi exprimi Spiritus fatendum eſt. Maximè autem iſtud fieri in muſculis arbitror, quando ex ipſorum à Spiritibus è Cerebro emiſſis turgeſcentiâ conſtringuntur aliquatenùs vaſa Sanguinem deferentia; non utique adeò inſigniter ut viam feſtinanti occludant, ſed tantùm ut per tranſitus is molimine aliquo conſtet, unde liberior illa Spirituum oritur exudatio & in ſubſtantiam muſculi carnoſam extravaſatio.

9. Favet autem huic ſententiæ quòd in iiſdem locis ſemper reperiantur partes aptiſſimæ ad Spiritus continendos, ſive ob imperviam illam quâ præditæ ſunt viſciditatem, ut in Cerebro & Teſticulis ſuprà annotavimus, ſive ob denſitatem laterum fermè impenetrabilem, ut in muſculis cernitur. Aſtipulatur etiam quod in eiſdem locis nervorum complurium ibi deſinentium concurſus fiat; unde facillimè in eos reſorbentur Spiritus, atque ad Cerebrum, ſiquando magnam horum copiam in alias partes amandare opus ſit, ad nutum advocari poſſunt. Quid quod incredibile ſanè atque inexplicabile eſt, quo

pacto

pacto Cerebrum ſolum tam immenſum Spirituum proventum elaborare (ut vocant) atque elicere poſſit ut quibuſvis Corporis motibus obeundis par eſſe queat; præſertim cùm nullo non motu imò in quâlibet motûs parte deperdi & abſumi Spiritus neceſſe ſit. Eſt itaque Caput Arx quædam ubi reconduntur Spiritus, inde ubi res poſtulat expromendi, non autem Officina in quâ ſolâ excuduntur. Utut ſit de rei hujuſce veritate, certè maximæ ingenioſiſſimo Libelli *De ratione motûs muſculorum* Authori agendæ ſunt gratiæ, quòd conformiter ad naturas rerum diſcurrendo rem obſcuriſſimam in clariorem protrahere lucem conatus fuerit; mihíque (utì ſpero) ſi quando in Tractatu iſto ulteriorem in re Medicâ progreſſum facere aggreſſus fuero, danda erit venia.

10. Ultimò reſtat, De motu illo vel potiùs de eâ motûs modificatione inquirere, quæ ad virtutem vitiúmque confert, quatenùs ea præcisè ex Spirituum diſpoſitione pendet. Qui Spiritus valdè ſubtiles ac pænè igneos, parùm verò admodùm elementorum fœculentiorum habent admixtum, celerrimo illo Animi motu quem *Ingenium* dicimus, pollent, & ſpeculationibus altiſſimis ſeu abſtractiſſimis dediti erunt. Hujuſmodi itaque

ſi,

ſi, Logicam & Metaphyſicam ſcientificè edocti, volatiles quas habent cogitationes adveram Rationis normam compoſuerint, futuri ſunt contemplationi Principiorum rerúmque Spiritualium ac divinarum addictiſſimi, atque ſanctiſſimi utplurimùm virtutum omnium Cultores: Sin minùs, mentes ipſorum, quadrigæ Phaethonteæ inſtar, ſummâ agilitate præditæ, rectore verò deſtitutæ, nullo certo tramite per devia omnia incertis atque inconditis rapientur motibus. Principia etiam evidentiſſima & ſanctiſſima Religionis jura, quibus ab ipsâ imbuti ſumus Naturâ, in dubium vocabunt, vel etiam negabunt; atque ad Scepticiſmum vel Atheiſmum propenſiſſimi erunt. Naturas Spirituales, utpote quarum perceptio phantaſiæ vires excedit, ſolóque benè ordinatæ mentis acumine penetrabilis eſt, excuſsâ rectæ rationis, ſeu terminorum connexionis diſciplinâ, irridebunt, & bona Spiritualia contemnent; earum tamen loco, cogente naturâ ut aliquid ament, ſeu tanquam bonum ſibi aptum ſtatuant, aëreum quiddam, Honorem ſcilicet, affectabunt ac miſerè deperibunt. Quare erunt iſtiuſmodi homines arrogantes, ambitioſi, iracundi, invidi; ac, ſi permagna fuerit horum Spirituum copia, intolerandæ Superbiæ veneno turgidi.

11. Proximi his ſunt ii quibus Spiritus minùs igneæ multùm verò aëreæ participantes naturæ contingunt, hoc eſt, oleoſæ quaſi indolis. Hi, ſi rectè inſtituti fuerint, ad amicitiam, beneficentiam, liberalitatem, omnia denique charitatis officia proclives ſunt; ſin perperàm, ad libidinem, luxúmque; & generatim loquendo, qui ſub hâc claſſe reponendi ſunt flexibilitate illâ ad utramvis partem quam *bonitatem Naturæ* ſolemus appellare, præditi erunt. Cujus diſpoſitionis Perfectio, eſt placabilitas atque obſequioſa animi temperies, unde legibus tum divinis tum humanis obtemperare nati ſunt hujuſmodi; Corruptio verò, in rectè conſultis ac propoſitis, levitas atque inconſtantia; quo quidem vitio Fœminæ, utpote magis aëreæ ac humidiuſculæ quam Viri, laborare notantur. Qui craſſiori ac minùs agili humiditate quàm ſit aër (ſeu quaſi *aqueâ*) Spiritus imbutos generant, ſi ad rectæ rationis gubernentur normam, patientiâ ac manſuetudine præditi ſunt; ſin ſecùs accidat, vini & otii appetentes. Denique, ii quorum Spiritus plurimùm terrenam ſapiunt naturam, ſi multum quoque ignis admixtum habeant, robuſti, iracundi, fidentes, feroces, atque ad res arduas capeſſendas prompti; ſin parùm, invidi, deſides, guloſi, triſtes, ſordidi,

ſordidi, ac demùm (veriſſimi utique Terræ filii) Avari. Verùm iſta minutiùs perſequi nobis, ut pote intra naturæ ac materiei limites conſtrictis, haud ita licet. Ea quoque eſt vis Educationis ſeu Conſuetudinis (quæ *altera Natura* non immeritò nuncupatur) præcipuè verò auxiliorum ſupernaturalium, victriciſque Gratiæ virtus, ut de primævæ inclinationis in futuros mores influxu vix quicquam firmi ſtatui queat.

SECTIO DECIMAQUARTA

De Proximâ Spiritnum materiâ.

1. ULtimò explicandum reſtat, Quo pacto Spiritus cum Igne in communi materiâ, Pinguedine ſcilicet, conſentiant. Eſſe autem hanc proprium Ignis (Culinaris dico ſeu Communis, non Elementaris) pabulum, tot habemus documenta quot ſunt focorum flammarúmque genera: nam ſi luminariola ſingula apud nos reſpiciamus, ſive ea ſebacea, oleaginea, picea, reſinoſa, ſive cujuſcunque demùm alterius generis ſint, ſanè flammabilitatem quâ prædita ſunt in Pinguedine integrè poſitam comperiemus: Si ad Focos advertamus animum, obſervare licebit

cebit primùm occupari admotum ignem in crudis illis, terreſtribus aqueíſque particulis evaporandis; &, donec id perfectum fuerit, adeò non alitur ignis ut extinctionis potiùs metus ſit, niſi vita ipſius adminiculo follium perpetuò ſuſtentetur. Ubi verò, iſtis in fumum reſolutis avectíſque, intimiorem fomitis ſubſtantiam penetrandi, atque oleoſas ipſius particulas ſolidius mixti corpus conglutinantes attingendi eáſque depaſcendi datus fuerit locus, tum demùm vegetari, ſéque longè latéque in calorem, flammam, lucémque exporrigere ac diffundere incipit; donec, pro voracitate ipſius inexplebili, eſcam quâ nutritus fuerat, Pinguedinem, ſcilicet, abſumpſerit; quo facto, præ victûs inediâ primò languet, mox emoritur. Qui verò remanent Cineres, nutritivo illo glutine quo partes ante cohærebant deſtituti, eam ob cauſam adeò ad ignem nutriendum inidonei ſunt, ut eundem, ſi ſuperaffundantur (terreſtres utique ac proinde ipſius indoli maximè inimici) enecent protinùs extinguántque. Ex toto itaque naturæ curſu videtur conſtare peculiarem Ignis cibum eſſe pingue quoddam ac oleoſum; ipſúmque tam diu ſolummodò durare donec materia iſta, quæ res adeò diſſonas *concordi pace ligavit*, abſumpta fuerit. Quare, cùm,

cùm, ut ſupra oſtenſum eſt, Spiritus in Corpore noſtro igneæ ſint naturæ, tantundem quoq; de iis ſervatâ proportione, philoſophandum erit.

2. Comprobatur hoc Experientiâ; nam, qui Regionis calidæ vel æſtatis incommoda ſubire coguntur, æquiùs id ferunt ſi hauſtum Bacchi generoſi, aut Spiritûs Sacchari, vel vini manè propinent. Aſtipulantur Ruſtici, profitentes ſe quo die allia comederint Sole ſub ardenti minùs laſſitudinis ſitíſve percipere. Meſſores quoque cæteróſque operarios lardum aut butyrum pani allitum fatigatos recreant; imò optabilius ipſis eſt, cibo opiparo, quàm cereviſiâ forti aut Zytho illupulato carêre. Conſonat etiam Fabula quæ in veritate fundari ſolet, & Myſteriorum, res illas quarum ſimilitudinem exhibent, reſpicientium natura. Quid enim aliud thymiamatum incenſio, adipis combuſtio, pinguiſſimarum deniq; Pecudum ſuper altaria fumantium immolatio indicant, niſi Spiritûs (pretioſiſſimæ utique ac nobiliſſimæ animantium partis) litationem, ac vigoris vitæque noſtræ tum ortum tum conſervationem Primo Enti accepta eſſe referenda, recognitionem luculentam.

3. Præterea, cùm à combuſtibilis rarefactione fiat accenſio (unde ex eâdem

materiâ, lignis putà vel carbonibus, modò Fumum modò Flammam exilire cernimus) ea duntaxat materies Igni mixtíſq; igneis (ac proinde Spiritui) generandis apta ac proportionata erit, quæ ex attenuatione vegetior, potentior ac flammabilior eſt, quod, teſte Experientiâ, Pingui ſoli competit. Hinc dictum Philoſophi, *Pingue nec terræ nec aquæ eſſe, ſed Spiritum*; utì & illud, *Nec vitæ ſolùm ſed longævitatis cauſa eſt Calor pinguis, qui ſiccitatis pariter & refrigerationis proclivitatem arcet.* Unde ex doctrinâ traditâ relucet, quo ſenſu ſano aſtruenda ſint tum Humidum tum Calidum radicale ſeu innatum, tanquam unicum Biolychnium conſtituentia, eâque de causâ eſſe totius vitæ noſtræ baſin ac fundamentum; ſi nimirum Humidum iſtud eſſe Pinguedinem interpretemur; eámque non ſolùm depaſcere Calorem ſeu vim igneam à Semine primò Animanti inditam, verùm ex eâ quoque generare Spiritus, effectricis Cauſæ munere toto vitæ decurſu fungentes; quorum ope, novo appoſito pabulo, novi denuò eliciantur Spiritus, actionibus vitæ ſenſûſque perenni circulo daturi operam. Eodem planè modo quo parvula in initio ſcintilla foco jam extructo appoſita, ipſa quidem ſtatim avolat, ſuccedaneus tamen uſque relictus igniculus

Ariſt. De Gen. l. 2. c. 2.

igniculus è fomitis pinguedine natus, præcedentem excipit. Quod tamen non ſic intellectum velim, ut Calor nativus humidum Animale depaſcens formam ſive ignis ſive flammulæ cujuſdam induat (quod profectò abſque ingenti Sanguinis intemperie, imò perpetuâ Cerebri inebriatione vel potiùs exitio ſubitaneo fieri non poteſt) ſed, quòd ex ejuſdem in Pinguedinem actione exurgat mixtum quoddam aliquanto plus igneæ naturæ continens, ac proinde ſubtilius calidiúſq; quàm ſit vel Fumus vel Vapores oculis noſtris ſpectabiles.

4. Verbo dicam: Qui igneam illam in Spiritibus partem, in quâ ipſorum vita víſque inſidet, pinguedine depaſci negaverit, univerſæ propemodùm Naturæ teſtimonio refragari videtur, cujus conſtanti teſſerâ firmatur, Corpora eò citiùs tardiúſve ignem concipere quò pinguiora vel minùs pinguia ſunt. Quòd ſi huic veritati, evidentiâ victus, aſſenſum quis accommodaverit, certè ſpirituoſitatem è Pinguedine oriri denegare non poterit abſque everſione totius Naturæ cursûs; qui quidem in eo collocari videtur, ut Agens quodvis, quatenùs res alias vincit ſibíque ſubdit, eatenùs ſuam ipſius induere Naturam eas planè cogat, &, pro victoris jure, vi adigat.

5. Opponat quis; Aëris natura proximè ad Ignem accedit, is itaque immediata ac proinde propria ſtatuenda eſt Ignis materia. Reponimus, quicquid de Igne atque Aëre Elementaribus dici debet, certè ignis Communis ſeu Culinaris, cùm ſit mixtum quoddam, pro materiâ etiam ſibi peculiari mixtum aliquod, ídque Pinguedine praditum, habere æquum erit.

6. Dupliciter tamen ad novi ignis generationem concurrere Aerem non diffitendum eſt: Intrinſecè, ſcilicet, quatenùs ad componendam Pinguedinis naturam plurimùm (imò maximè forſan) confert: atque Extrinſecè; quatenùs nempe, evolante perpetuò Igne particuliſque humidioribus ipſi adhærentibus, ambiens protinùs aër, utpote Corpus proximum & facilè mobile, ob neceſſariam (præ Vacui impoſſibilitate) quantitatis cohærentiam ac conſecutionem, ipſarum locum ſuppleturus cum impetu proruit: unde fit quaſi ventilatio quædam, relictum ignem adverſus fomitem propellens & intimiùs ipſius partibus applicans. Eodem planè modo quo, cùm fit projectio, in manûs ſubitò reſilientis locum irruens aër ac quovis motûs illius paſſu vi quâdam inſequens, toto cursûs tempore antecedentem lapidem promovet protrudítque.

SECTIO

SECTIO DECIMAQUINTA:

De Spiritibus reficiendis emendandíſque.

1. PErſpectâ jam Spirituum naturâ & origine, è quibus Animantium ſanitas non mediocriter pendet; quænam medicamenta iiſdem, quando abſumuntur vel malè ſe habent, reſtituendis rectificandíſque conducant, haudquaquam cognitu difficile erit. Notandum autem in primis, quæcunque virtute iſtâ prædita ſunt, ea omnia eâdem quaſi operâ ad roborandum Cor veneníſque obſiſtendum vim quoque habere. Horum tres Claſſes aſſignari poſſe videntur Quædam ob materiæ ſimilitudinem atque oleoſitatem quam continent, Spiritum deperditum recreant; quædam evacuando & Sanguinem alterando agunt; alia denique habitum corporis humoréſque figendo, & nè diſſipentur Spiritus obſerando.

2. In primâ claſſe reponuntur Moſchus, Ambra, Succinum, Myrrha, Camphora, Lignum aloës, cortices Citri, Limonum, Aurantiorum, omne Vini genus, Cinnamomum, Garyophyllum, Nux moſchata, Aromata, Suaveolentia, denique Dulcia omnia; quæ non modò Spiritum reſtaurant,

rant, ſed lætitiam inſuper adferunt.

3. In ſecundâ, quæ Sanguinem corrigunt (in quo tanquam in ſubjecto Spiritus ſitus eſt) eúmque, à bile aduſtâ & ſucco inſpiſſato alteratum, temperant; qualia ſunt Bugloſſus, Borrago, Viola, Acetoſa, Cichoracea, Papaver, Nymphæa, ſucci Citri, Limonum, Aurantiorum, Granatorum; omnia item Infrigidantia: Diſcutientia autem, Diuretica, Sudorifica & Flatuoſa nocent. Prodeſt etiam Sanguinis miſſio. Obeſt autem Purgatio præ Seri inopiâ.

4. Si Spiritus depravatus fuerit ac Imaginatio læſa præ Seri Biliſve abundantiâ, proſunt Helleborus uterque, lapis Armenus & Cæruleus, Agaricum, Polypodium, diuretica, Corallium & Margaritæ ob ſalem qui putrefactionem prohibet, acidum ſalſúmque imbibit, tranſpirationem promovet, ac Serum per urinam detrudit; unde fit ut nova menti diluceſcat ſerenitas.

5. Proſunt item Diaphoretica, ut Lapis bezoardicus uterque, terra Lemnia, & Calida quædam, ut Doronicum, Zedoarium, Crocus, Ben, Baſilicum, Coriandrum, Meliſſophyllum, Pæonia & Stœchas. Juvant etiam abſtergentia & aperientia, ut Hypericon & Ruta; quæ non occultâ aliquâ, ſed notiſſimâ qualitate, Calore ſcilicet,

ſcilicet, eam operationem exequuntur.

6. Nonnunquam autem à calore febrili, rarâ Corporis texturâ, Seri abundantiâ, Cœli conſtitutione calidâ & humidâ, regione denique & victu, Colliquativus Sudor oritur; in malignis quidem febribus ſæpiùs, aliquando autem in variolis & peſte; qui cùm accidit (apagè intolerandam pernicioſámque Agyrtarum inſcitiam!) curandi aliquando methodus morbo ipſo longè profectò lethalior eſt: dum enim diaphoretica (quæ, peſſimo tum vocum tum rerum naturæque abuſu ipſius, *Cordialia* agnominant) quibuſvis indiſcriminatim manu porrigunt audaci, morbo iſti ſuppetias ferunt; nec miſeram permittunt animam lentis naturæ paſſibus expirare, quin eam per Corporis habitum, Sicariorum more, millies confoſſum perforatúmque, magno conatu exturbant, eíque tranandæ è propriâ Pinguedine Sudoris Stygem eliciunt. Ridet interim deluſus popellus, at riſum profectò Sardonicum, vel lethalem illum qui à Tarantulæ morſu provenire ſolet mortis πρόδρομον. Evolare autem magnâ copiâ Spiritus, ſicubi rarus Corporis habitus apertam ipſis præbuerit viam, vel cuilibet è fæce plebis manifeſtum eſt; edocentur namque iſti ab optimâ magiſtrâ Experientiâ, ſe minùs in tempeſtate ac Regione frigidâ

frigidâ quàm calidâ Spirituum pati diſpendium, ac proiude laborem valentiùs tolerare poſſe. Non deſunt tamen medicamenta in tertiam claſſem referenda tam exitiali & pernicioſo occurrentia morbo, ſi rectè adhibeantur: Hujuſmodi ſunt Aſtringentia omnia; ut Tormentilla, Biſtorta, Myrtus, & cætera ejuſmodi; item lenta ac repellentia quædam. Omnibus eadem medendi ratio, Spirituum ſcilicet repreſſio atque inhibitio. Singulis autem intentionibus quadrare videntur Periapta ea quæ ſenſim ſine ſenſu operantur (ſi qua fides iſtis accommodanda eſt, & certè aliquam his deberi à rerum Naturâ uſúque manifeſtum eſt) hujuſmodi enim Spiritum augendi, minuendi, comprimendi & attemperandi vim habere præſumuntur.

SECTIO DECIMASEXTA.

De nonnullis Morbis è Spirituum incremento aut decremento ortis, eorúmque cauſis.

1. SUperiùs explicatum eſt quænam cauſæ ad Spirituum tum incrementum tum decrementum faciant; reſtat jam

jam perſcrutandum quinam ab iiſdem nimiùm auctis diminutíſve proveniant morbi, quænam etiam morborum iſtorum cauſæ, tum internæ tum externæ.

2. A Spirituum abundantiâ oritur furor ille venereus qui ſolenni coeundi tempeſtate Beſtias quamplurimas, Homines etiam aliquando, tum Viros tum Fœminas, inceſſit. Ex dictâ autem causâ naſci hunc, argumento eſt quòd, ubi peracto jam coitu, ſpirituoſo ſe exoneraverint humore, ſedati protinùs ac tranquilli ſint. Hujus rei exemplum eſſe poteſt obſervatio illa *Formii* Chirurgi *Riverio* communicata, de Juvene quodam maniaco; qui, aliis fruſtrà tentatis remediis, caſtrationem tandem exploravit; quâ peractâ, è maniaco melancholicus factus eſt. Obſer. 32

Quamvis Ephemera rarò accidat ſine causâ procatarticâ, febris tamen ea facilè excitatur à Spiritûs copiâ, ab irâ, nimiâque animi contentione. Novi quendam temperamento calidum, celerrimo illo animi motu quem Ingenium vocamus præditum, atque omnifariâ optimarum ſcientiarum cognitione excultum, qui eò velocitatis, præ nimio ſtudio, Spiritus agitare ſolebat, ut, poſt diutinam exinde incaleſcentiam in Ephemeram tandem inciderit. Oritur etiam Febris hæc à jejuniis, vigiliis & exercitio; calefacto

facto ſiquidem & ſubtiliore inde reddito Spiritu, Sanguinis motus concitatior evadit, febríſque ingruit; quæ, cum ab iſtis proficiſcitur cauſis, à ſolidiore cibo, potu, ſomnóque curatur; paratur enim ex his materia cui ſubigendæ vim ſuam impendat præfervidus ille calor, ſícque ad juſtam ſeſe reducat temperiem. Oritur quoque à pororum conſtrictione, cujus rei aſſignabitur ratio ubi ad Tranſpirationem inſenſibilem ventum fuerit. A Bubone non generatur, niſi per accidens; quatenùs ſcilicet à dolore & vigiliis quas cauſat calore nimio Sanguinem accendit.

3. Spiritûs exceſſui contraria eſt Syncope ſeu præceps virium lapſus ob motum pulsûs imminutum vel deperditum; hoc nempe concidente cunctas pariter totius Corporis facultates concidere atque interire neceſſe eſt. Pulſuum autem motus languet vel interit, ratione Moventis, Mobilis, & Inſtrumentorum læſorum ſimul, vel horum utriuſlibet. A moventis ſeu Spiritûs inopiâ fit, quando non adeſt materia apta quæ in eum convertatur, vel quando nativus calor adeò debilis eſt, ut ad perfectam Spirituum naturam efficiendum pertingere nequeat. Extinguitur etiam Spiritus à frigiditate nimiâ, hæc etenim qualitas vehementer & (ut ita dicam) formaliſſimè ipſi inimica eſt; unde

quæ

quæ intensè infrigerant præsentaneam mortem adferunt. Sunt autem infrigerantia vel intrinsecùs assumpta, ut immodicus frigidæ potus; vel extrinsecùs advenientia, ut aër insigniter frigidus & pænè gelascens. Idem accidit quando satis aëris ad respirationem non suppetit, aut venenosa quædam ac maligna qualitas eidem inest. Porrò, ex immodico æstu major tum Spiritui subtilitas, tum Corpori raritas accedit; unde Spiritus dissipatu proclives sunt. Idem effectus sequitur ex profusâ lætitiâ, ab exercitio nimio, ab inediâ, Evacuationibus crebris, dolore gravi, vigiliis, somno nimis producto, morbi denique diuturnitate aut vehementiâ.

4. Ratione Mobilis intercipitur pulsus quando Sanguis spissior est, ob Seri Succique defectum. Item, quando fibrosior est vel debito viscidior ob succum Caseosum Calore inspissatum; denique, quando affluentiori Sanguinis recursu Cor obruitur.

5. Ultimo, ratione Instrumentorum fit Asphyxia si Aorta, arteria venosa, vena arteriosa, Carotides, aut Cava, vel obstructæ omnimodè vel insigniter læsæ ruptæve fuerint. Idem contingit ex repletione pulmonum dilatationi renitentium, vel ex notabili aliquâ læsione musculorum

culorum vel nervorum eorum qui reſpirationi inſerviunt, adeò ut munere ſibi proprio fungi non poſſint; à tuberculi etiam aut abſceſsûs introrſum eruptione, à conſenſu denique oris, ventriculi vel uteri.

SECTIO DECIMÁ SEPTIMA.

De Peſte.

1. POſtremus & peſſimus à Spirituum defectu morbus eſt, cum præ adeò enormi Seri ſuccíque præter naturam abundantiâ ut regi corrigíve non poſſit, oritur *Peſtis* tum contagioſa tum exitioſiſſima. Adverſus hanc abſentem muniunt, præſentem verò ptotegunt ea omnia quæ Spiritum confortant, inter quæ principem tenent locum quæ Spiritibus conficiendis idonea ſunt. Quod idem præſtant Hilaritas, Muſica, atque Audacia; ab hâc ſiquidem confeſtim evocantur in aciem Spiritus, ut, juſto quaſi inſtructo exercitu, adverſus Peſtem (hoſtem utique ipſorum infeſtiſſimum) eatur obviàm; ab illis verò canitur veluti claſſicum, quò eiſdem jam pugnam inituris novus accreſcat vigor atque alacritas. E contrà autem Metus, Triſtitia, Ira, Fames, Fœtida, Nutrimenta corrupta,

corrupta, Narcotica, Ebrietas Somnum immoderatum inducens, præſertim ſi ſit meridianus & ſub dio; verbo, omnia quæ Spiritibus generandis officiunt, vel humores introrſum recurrere faciunt, Peſtem promovent; unde fit ut ſæpiſſimè rigor quidam in initio percipiatur. Quare, nocent etiam quæ Spiritum diſſipant, qualia ſunt Labor, Exercitia nimia, Laſſitudo, magna Croci quantitas ſumpta, Balnea & Sudor immoderatus; poſt quem utique maculæ lividæ, nigræ & lethales non rarò erumpere ſolent. Nocent denique quæ Spiritum exhauriunt, ut Sanguinis fluxus (cujuſcunque tandem generis ſit) Coitus immoderatus, Purgationes & Vomitus, unde magna virium in principio proſtratio, ut & crebrum Animi deliquium, Cordis palpitatio, tremulus Manuum & Linguæ motus, periculoſa imò lethalia plerunque ſigna ſunt.

2. A Succi autem caſeoſi exceſſu Spiritum prægravante & ſuffocante oriri aliquando Peſtem, compertiſſimum eſſe videtur; eò quòd morbus iſte contagioſus ſit; contagionem autem in humore illo frequentiùs collocari experiamur: Lepra ſiquidem, Scabies, Variola, Phthiſis, Canis rabidi morſus, & Lues venerea, ex hujus corruptione oriuntur. Quò verò clariùs eluceſcat qualiter ex dicto humore putre-

facto naſcatur contagies, confectionem quandam venenoſam & contagioſam, eámque valdè inſignem, modúmque etiam quo ea fieri aſſolet, in medium proferemus. Proprium *Parthorum* & *Scytharum* Toxicum quo Sagittarum acumen intingebant Humano ſanguine & Viperinâ ſanie conſtabat: Immedicabile Malum! quod mortem æquè propemodùm alatam atque ipſæ Sagittæ, adfert atque accelerat: Finxerunt Poetæ, hoc ex Lerneæ Hydræ ab Hercule ſagittâ occiſæ cruore enatum, unde & *Toxici* nomen accepit; *Scythicum* verò agnominatum fuit eò quòd, ut refert *Ariſtoteles*, *Scythæ* viperas jam enixas venantur, quas captas dies aliquot, donec in ſaniem corruptæ fuerint, contabeſcere ſinunt; deinde integrum unius hominis Sanguinem, in ollam exquiſitè coopertam ſimóque obrutam effuſum, eoúſque ſervabant donec computruiſſet: Cujus tandem Sanguinis ichor ſeu ſuecus cum viperinâ ſanie permixtus, lethale illud *Scytharum* conficiebat *Toxicum*. Unde patet ſuccum hunc corruptum aptiſſimum eſſe tum ad venenum imbibendum tum aliis impartiendum.

Plin. l. 11. c. 52.

De Mirab

3. Porrò, in Peſte malè affici Suecum nutritium, & venenum utplurimùm in eo ſitum eſſe, à juvantibus & nocentibus dignoſcitur: Prioris generis ſunt fonticuli, ulcera

ulcera antiqua, & ſcarificationes: à quibus utique omnibus, necnon à ſalivatione ope Tabaci excitatâ exoneratur hic abundans, vitiatúſve humor. Hinc *Ægyptii* ſcarificationes tres, eáſque longas ac profundas, permagnorum vulnerum inſtar, utrique ſuræ in longum infligunt; quibus ſaniem evacuantibus à Peſte mox ſervantur curantúrque. Juvant quoque Abſceſſus in Emunctuariis citò matureſcentes; juvat etiam, ſi contenta materia, ante ſuppurationem, extrahatur: attrahere enim veſicatoria humorem iſtum ipſemet ſæpiùs oculorum fide, ſed Ignis ope, ut mos eſt, expertus ſum.

4. E contrà ſi abundaverit Succus iſte, nec tamen expellatur, mors ut plurimùm denotatur; hinc mali ominis habetur, ſi fonticuli & ulcera exareſcant, aut evaneſcant humores in emunctuariis: Idem judicandum ſi tumores ii qui in faucibus & pone aures, ſunt intra ſpatium duodecim vel viginti horarum valdè augeantur & molles fiant inſtar extuberantiæ cujuſdam flatulentæ (ſive id cum inflammatione ſive ſine eâ obtingat;) licèt enim in iſto caſu ægri ob materiam extravaſatam, aliquandiu non ita malè ſe habere, imò nonnihil meliorari videantur; tamen, cùm ſucci hujus copiam & fluiditatem denotent tumores iſti, lethales omninò ſunt:

quod idem de raucedine, tuſſiculâ, pleuritide, atque urinâ craſsâ & turbidâ, déque horum omnium præſagiis, dicendum eſt. Nocent itaq; quæcunque ſuccum augent, ut repletio nimia, & carnis Porcini aliorúmque id genus ciborum comeſtio.

5. Quòd nimia *Seri* copia ad Peſtem diſponat, inde elicitur quòd hoc morbo correpti circa Noviluniũm & Pleniluniũm, quando humiditas tum copioſior tum univerſalior eſt, periculoſiùs ægrotent. Præterea, Diuretica & Diaphoretica, quia leviter Serum evacuant, nec tamen (dum moderatè adhibentur) vires proſternunt, tum præſervativa tum ſalutifera habentur. Apud *Cayrum*, licèt per ſex menſes debacchetur Peſtis propter inæqualitatem aëris, modò præ calore ſuffocantis atque ad potum provocantis intemperantiorem, modò præ frigore poros occludentis; tamen, poſtquam Sol Cancrum ingreditur, inundante jam *Nilo* atque ob humiditatem cum calore temperatam, Balnei vice, poros aperiente, ſpirantibus denique Eteſiis (unde clementior ac conſtans Cœli temperies) has inquam ob cauſas, Sudor eâ tempeſtate largiſſimè profluere incipit, Peſtiſque ac Contagium protinùs ceſſat.

Alpin. De Medi. Ægypt. l. 1. c. 18.

6. Cùm autem compertum ſit ea difficillimè Corruptioni cedere quæ Spiritibus maximè

maximè abundant, hinc ultima omnium quæ Peſti manus dat, eſt pars illa Sanguinis vivida, florida, ac vegeta, quam conditinctè à reliquis in vaſis humoribus & quaſi κατ' ἐξοχὴν, Sanguinem appellamus; in quâ etiam, veluti in ſubjecto proprio, inhærent Spiritus tanquam ipſius Vita atq; Anima. Quare, cùm eò potentiæ accreverit Peſtis, ut nobiliſſimum hunc humorem expugnare auſus ſit, imò eum ſibi ſubdere ac corrumpere occœperit, ex conatu Naturæ noxia quæque expellere ſatagentis, per vaſa capillaria in exteriores Corporis partes ejicitur; unde lividæ quædam maculæ vibicibus ſeu notis illis ſimiles quæ à verbere ſeu plagâ relinquuntur (unde forſan Anglicè *Plague* nominatur) in cute undique depictæ conſpiciuntur. Has autem meritò Indicia (Anglicè *Tokens*) nuncupare ſolent; ſunt enim vitaliſſimæ Hominis partis corruptæ, Spiritûſque evanidi impotentiſque vitæ actionibus fungi aut Sanguinem à gangrænâ ſervare, hoc eſt, mortis certiſſimè ſecuturæ ſigna. Hinc qui maculis hiſce inſigniti ſunt (niſi adſit quoque Febris vehementior) ad extremum pænè vitæ halitum, ut plurimùm, mente conſtant; in his namque non ſubitò intercipitur vel ſuffocatur Spiritus, ſed pedetentim tabeſcit atque interit.

SECTIO DECIMA OCTAVA.

De Senectute.

1. HActenùs deductum eſt, quibus viis præternaturalibus ſeu modis abſumantur Spiritus: reſtat ut de naturali eorundem interitu, *Senectute* ſcilicet, pauca apponamus. Eam verò mortalibus obrepere hoc modo videtur. Agens in Corpus humanum per annos complures ambiens aër, nativam habitûs cutiſque temperiem paulatim exiccat, eámque facilè perſpirabilem facit. Hinc fit major indies Spirituum ac caloris nativi evaporatio: quo decreſcente, frigidius pari paſſu redditur Corpus ſingulæque ejus partes. Quare, cùm perpetuus Naturæ curſus teſtetur, quò plus caloris adeſt eò plus olei è rebus cunctis extrahi, imminuto proinde pedetentim ventriculi partiúmq; ad primam coctionem concurrentium calore, minus adhuc Pinguedinis è quo Spiritus, minus item terreſtrioris ſeu caſeoſæ partis, unde fit nutritio, ex aſſumptis reſolutum erit; undè macrior indies conficietur chylus, ac proinde Spirituum Caloríſque pauperior ac ſolidi nutrimenti egentior generabitur Sanguis. Paulatim itaque macilentior fiet Corporis habitus, atque

atque exiccanti externi aëris virtuti magis magísque concedens; cutis aſperior fiet & crebris ſulcabitur rugis. Et, cùm à bonorum Spirituum copiâ vigor omnis, color vividus motúſque tum Sanguinis tum Corporis totius profluat, hinc Senibus pallor, imbecilles effœtæque vires, inceſſus tardus, tardior denique pulsûs reciprocatio contingere ſoleut: donectandem, quæ reliqua eſt Spiritûs ſcintillulâ, motum ulteriùs continuare non valente, pulſus micare deſinat, Córque (cùm nulla res adſit quæ illud erigat impleátque) elanguidum concidat & frigidæ mortis imperio ſe victam ſubdat.

2. Neque aliquid magis myſterioſum in hoc latet, quàm in arefactione fœni vel exiccatione oſſium: Eliciuntur nempe ex utriſque ab aëris ambientis calore plus tum caloris interni tum humoris quàm ab exhauſtis jam ac debilitatis coquendi viribus reparari poſſint. Hanc autem veram eſſe Senectutis cauſam comprobabitur exemplo, *Thomæ Parri* Angli ad calcem libri hujus, ſubjecto; qui, licèt provectiſſimam attigerit ætatem, tamen cùm calor ad primam coctionem neceſſarius, abundè ipſi ſuppeteret (erat namque ipſi appetitus optimus, & coquendi diſtribuendíque facultates neutiquam debilitatæ) idcircò vix ulla Senectutis ſenſit incommoda, imò

quamplurima juvenilis ætatis præstare officia evaluit; denique juvenili quoque morbo, excessu nimirum Sanguinis (si annos spectes, serò; sin vires, præproperè seu ante diem) extinctus est.

SECTIO DECIMA NONA.

De Fumo & Flatu.

1. HUcusque de *spiritibus* déque eorum è flammabiliore, hoc est defæcatiore, puriore magísque igneâ Pinguedinis parte, origine: Sequitur *Fumus* propriè dictus, prout scilicet à Spiritu Flatúque condistinctus accipitur. Cujus Naturam (ut in Corpore humano est) quò perfectiùs investigemus, primò Fumum communem seu culinarem, utpote crassiorem, ac proinde magis visibilem intelligibilémque, ac patentiores è quibus oriatur causas, attentè considerabimus.

2. Perpendenti autem ultrò se offert, opacum admodum nigrúmque esse Fumum istum; quæ qualitates, cùm ex aquâ, aëre, aut igne, communicari non possint, eas proinde è Terræ participatione mutuatas constat. Patet prætereà, Pinguedinem aliqualem Fumo inesse. Experimur siquidem candelæ nuper extinctæ halitum citò flammescere; & hinc forsan provenit quòd

quòd culinaris illa flamma latiùs ſupernè ſe quandoque exporrigat, veluti eſcam aufugientem à tergo arreptura; unde & flammam omnem in fumum quendam deſinere videmus. Patet denique, quò intenſior adeſt Calor eò terreſtriorem ac proinde craſſiorem atque ignobiliorem elici fumum; cùm carbones à nullâ re minùs calidâ quàm ſit Ignis ipſe, ſubmittere ex ſe halitum conſpiciantur. Nec tamen denegari poteſt, calorem etiam remiſſiſſimum, ſi in aqueas incidat partes, paulatim in tenuitatem quandam aëream eas immutare; imò, ſi intenſus fuerit, etiam minimas quoque (inviſibiles tamen) Terræ molicellas pariter evehere.

3. Hæc ita deducta ad propoſitum noſtrum applicemus. Sit cibus in ventriculum ingeſtus, ſitque tum partium primam coctionem perficientium, tum Sanguinis etiam ipſius debitus Calor; adſit denique ciborum diſpoſitio Naturæ congrua: manifeſtum eſt, cùm omnes cauſæ rectâ proportione ſibi mutuò reſpondeant, à lentâ Naturæ Chymiâ cunctas cibi illius partes ſapientiſſimo atque optimo ordine reſolutum atque immutatum iri; adeò ut primò tenuiores, poſtmodùm minùs adhuc minúſque tenues, poſtremò aliquantulum craſſæ è maſsâ illâ eliciantur ſuíq; ſimilibus ubique Corporis adjungantur

tur (quam actionem *Digeſtionem* nominamus) ſeponantur verò nimis craſſæ, viis à Natura ordinatis excernendæ: Cogitemus porrò ineſſe dictis partibus Calorem paululo quàm par eſt intenſiorem, cibúmque vel aëris plurimum vel ſaltem crudæ humiditatis aquæve facilè in vaporem reſolubilis in ſe claudere; evidens eſt, *Flatus* exinde diſploſum vel generatum iri. Quòd ſi valdè intenſus fuerit Calor, adeò ut lentum illum ordinatúmque Naturæ curſum prætergrediatur; manifeſtum eſt, non jam, ut antea, diſcludi tantùm aut gigni particulas aëreas, ſed terreſtres quoque aliquas excitari &, non ſine perturbatione naturæ ordinis, vi quâdam abripi; unde oriatur neceſſe eſt exhalatio quædam calida & ſicca, quam *Fumum* nuncupamus: Cujus craſſiores partes in Sanguine relictæ ac nimio Calore aduſtæ in notiſſimam tandem illam coaleſcunt ſubſtantiam quæ *Bilis* appellatur. Unde patet unam eandémq; eſſe materiam tum Spirituum, tum Fumi Biliſq; Pinguedinem nempe: differre autem in eo, quòd ex ſubtiliore ipſius parte nihilq; terrenæ fæcis habente, à Calore nativo ac proportionato digeſtâ naſcantur illi; horum verò utrumq; ex fæculentâ & terreſtri ejuſdem parte, plus minúſve pro ſuâ utriuſq; indole participatis præternaturalis ope caloris oriunda ſint.

4. Differt

4. Differt itaque Fumus à Flatu: quòd iſte exhalatio ſit aquea, atque à Caloris operatione in aërem attenuetur; flammeam verò induere naturam, utpote Pinguedinis expers, nequaquam ſit capax; Sola enim Inflammabilia Fumum emittunt. Inſignis præ cæteris eſt Fumus ille qui è fodinis carbonariis eructatus foſſores ſuffôcat, &, à candelarum vicinià flammam concipiens, inſtar bombardæ explodi ſolet. Et ſanè, ſi benè ſubductâ ratione rem perpendamus, nihil aliud profectò videtur eſſe Fumus quàm Spiritus quidam vitioſus, craſſus, & malè attenuatus: unde forſan Antiqui, Materiei communitatem potiùs quam Formæ diſcrimen reſpicientes, idem utrique vocabulum aſſignârunt: Imò, *Hippocrates* ſub nomine *impetum facientis*, quæ voces Spiritibus tantùm propriè competunt, tum Flatum tum Fumum comprehendit; & magnus ille *Ariſtoteles*, flatus ab atrâ bile provenire narrat; qui quidem *Fumum* potiùs, iſque omnium ſiccifſimus peſſimúſq; appellandus fuiſſet. Verùm enimverò, ut pace tantorum Virorum id dicam, ſi Veteres (ut mihi ſanè videntur) ex incuriâ neſcio quâ omne illud quod ex aſſumptis in tenuem quandam rareſcit ſubſtantiam communi nonnunquam nomenclaturâ ſignificare volebant, maximam profectò injuriam

Problem. Sect. 30.

injuriam rebus ipſis intuliſſe eos non poſſum non conqueri; cùm Spiritus ab expreſſiſſimâ Naturæ intentione, Flatus verò Fumúſque (ut taceam interim iſtos tum magnoperè inter ſe, tum plurimùm à Spiritibus diſcrepare) ejuſdem peſſimi infeſtiſſimíque ſint inimici.

5. Si Principia jam poſita ſunt vera, Concluſiones rectè inde deductæ, ſeu deſcendentes ad Medicinam (inferiorem utiq; Scientiam,) lucem, eámq; neutiquam incertam, accommodaturæ ſunt. Quare ſi conſtat, Fumos à Pinguedine ut materiâ, à Calore autem nimio tanquam ab Efficiente proficiſci; conſtabit quoque, Pinguia omnia affectus è Fumo natos exacerbatura. Exemplis res clarior erit: Sylphii ſuccus (qui apud doctos Aſſa fœtida habetur) ſi cibis admiſtis ab inaſſuetis ſumatur, in Inteſtina non deſcendit, ſed, in ventriculo detentus, Choleram ſiccam facit; quam Pinguia omnia ſive commeſta ſive pota augent, imò efficiunt in iis qui ob pravam diſpoſitionem in id genus morbos proclives ſunt. Oleoſa ſiquidem omnia cum laxativa ſint, ventriculum lædunt, & in fumoſam rancidámque qualitatem facilè vertuntur: De carnibus etiam pinguibus tántundem dicendum eſt. Præterea, pinguia & ex Seſamo oleoſo edulia ructum acidum, fumum & abdomins

minis diſtentionem efficiunt. In morbo ſiccatorio fumi maximè abundant, unde interdicuntur morbo hoc laborantibus oleoſa & pinguia. Eandem ob cauſam damnum perinſigne inferunt Hypochondriacis, Hyſtericis, iiſque qui Convulſivis à fumo motibus affliguntur. Uteri Strangulationem præ vitioſi Spiritûs abundantiâ Patientibus, Aromata quæ ſuum è Pinguedine (ut dictum eſt) derivant odorem valdè obſunt & paroxyſmum accelerant; quem quidem afferre videntur eò quòd vel novam morbo ſuppeditent materiam (quantulacunque ea ſit) vel quòd fumos ex eâdem materiâ natos de novo excitent; quo facto eadem ſymptomata invadunt quæ à Plenitudine ob naturalium evacuationum ſuppreſſionem induci ſolent. Cùm enim inepta ſit Pinguedo è quâ Succus aut Sanguis conficiatur, desítque lenis ac moderatus Ignis Spiritibus eliciendis proprius; præ Caloris exceſſu in halituoſum quendam fæculentúmque diſſipari eam Fumum neceſſe eſt.

6. Porrò, ſicut ſtercora Equina in molem congeſta, ob vaporem unctuoſum calent, fumant, & nonnunquam ardent; ita Legumina, Braſſicam, Cepas, Napos, Raphanos, ac cætera ejuſmodi edulia eodem quoque implent & impinguant; unde

fumis

fumis generandis apta evadunt. Imò, ſi *Paracelſo* adhibenda ſit fides, è ſtercore Humano (ob oleoſum quo repletur Fumum) longâ digeſtione ſubacto ſuaviſſimus ſpirat odor; quem ſub obſcuris [*Cerbon* & *Zibethum occidentale*] nomenclaturis celavit: Ob hanc forſan cauſam avidè expetitur â Pantherâ, animali utiq; ſuaveolente. Hinc Mephitis à foricâ exhalans (ut cloacariis notum eſt) flammam aliquando concipit. Imò, metalla quævis polita, præſertim verò Aurum atque Argentum, haud ſecùs quam Fumus è Sulphure vel lignis emiſſus, fœdo quodam colore deturpat. Quinetiam admotâ facilè corripitur lucernæ flamma fumus ille qui è corpore cum crepitu erumpit: unde non immeritò ſicut accenſione, ita odore pariter pulverem refert tormentarium. Quid quòd Urina conturbata ob Fumos in venis redundantes, primò, dum Calor oleoſitatem contentam ſeparandi atque eliquandi vim habet, mingatur clara; pòſt, ab ambiente Frigore concreſcat, denſetúrque, factâ partium craſſiorum cum unctuoſis commixtione; rurſúmque eadem, ſi Calorem (heterogeneorum utique diſgregativum, ſolutivum verò Pinguedinis) adhibeas, ad priſtinam claritatem redit, De quibus ſic diſcurro; Nihil cernitur in Urinâ niſi Succus,

cus, Serum, & Bilis paululum, præter unum Fumum; illorum autem utrumque à Calore craſſeſcit, neutrum verò attenuatur. Illud itaque in Urinâ quod à Frigore coaleſcit, diſſolvitur autem à Calore, nihil aliud eſſe convincitur præterquam Fumus quidam pinguis Frigore concretus. Cùm autem nulla poſſit eſſe Intrinſeca Corporis alicujus tenuitatem verſus Immutatio, niſi à Rarefactione, hæc verò à Calore procedat; Fumorum eſſe Cauſa efficiens ſeu Pater, ſtatuendus eſt Calor. Idem tamen (proh Naturæ luſus!) Fumorum medela quoque eſt; &, quos olim genuerat, ipſe interimit: Idem, (inquam) Calor — vulnus opémque fert pro recipientis diſpoſitione atque adminiſtrantis judicio. Uſque adeò vitæ neciſque refert, ut Medici remedia applicantis oculatæ ſint manus, & ut rerum cauſas cognoſcat penitiſſimè, diſtinctiſſimè internoſcat. Exemplis res illuſtrior erit, & quando, Calor ad Fumos aut generandos aut abigendos conducat, eluceſcet manifeſtiùs. Allium, ſi à jejuno ſumatur, adverſus fumum prodeſt; ſi poſt cibum, obeſt maximè. Idem Calor utriuſque cauſa; nam, cum ventriculum cibo vacuum invenit, nihilque ibi ſit in quod virtutem ſuam attenuativam exerere poſſit præter Fumum, in ipſum agit, eúmque diſcutit.

discutit. Idem tamen, si ventriculo cibis oppleto ingeratur, nativum ultra modum augebit Calorem, atque operatione nimis potente ac præproperâ cibos depascens exhalationem nideroſam atque adurentem excitabit. Generatim itaque loquendo, Calida & Acria ad discutiendum, quando adest materiæ copia, non sine gravissimo periculo adhibentur, uti ex Historiâ sequenti; à *Fieno* commemoratâ, constat. Muliercula quædam, Tympanite miserè afflicta, curam sui Medico familiari commiserat; hic soli flatuum discussioni attentus, nullo catharctico præsumpto medicamento, Electuarium quoddam admodùm calidum administravit; quo vorato, sensit illa paulò pòst rugitum multò majorem solito, torsiones molestiores; difficulter spirabat, pristinóque ventris tumori novus, ísque longè major, accrevit: Accersitus *Fienus* mortem vaticinatus est, frustráque de remediis cogitari; nec fefellit augurium, tertio namque pòst die mortem oppetiit. Morbum hunc sive è Fumo sive è Flatu ortum intellexeris (quod idem de aliis nonnullis exemplis mox producendis monendum est) nihil pensi habeo: Eadem quippe in hâc re utriusque augendi ratio; Calor scilicet immodicus, materiæ applicatus idoneæ.

Lib. De Flatibus

7. Augent autem Fumum præ cæteris ea

ea quæ Pinguedinem cum Caliditate conjunctam habent; hujusmodi siquidem duplici causâ, Materiali scilicet & Efficiente, instructa sunt. Hujus generis sunt Dulcia, Vina, Cerevisia recens, Poma, Cepæ, Raphani, allæque Radices cæteroquin esu utiles. Vaccæ, si gramen arundinaceum viride (siccum enim non ita nocet) vel viridia Raporum folia copiosius devoraverint & postmodum aquam potaverint, pene ad diruptionem usque intumescunt tandemque moriuntur. Crescit enim malum potu, eò quòd calida, si sicca manent coctionem non admittant; & ut liquidarum egestionum gravior est fetor, ita à liquoris in ventriculo copiâ major nascitur vaporum proventus; Calore scilicet facilius penetrante atque exagitante subjectum fluidum fumosque (imò flatusquoque) inde eliciente. Hinc Leguminа omnia, cùm è succo nascantur pingui novóque ejusdem appulsu atque aquearum evaporatione partium maturentur, idcircò dum immatura sunt (licèt fortasse plus flatus, tamen) minus fumi continent; longè autem amplius si matura sint. Pisa verò, Fabas, Phaseolos, Nuces castaneas, fumo plurimùm abundare inde patet, quòd igni admota primò turgescant, dein cum sonitu rumpantur, & quasi displosa prosiliant. Arte itaque corrigenda

genda sunt ista omnia, quò salutaria evadant, præsertim verò elixatione, quâ partes comminuuntur ac nimia eliquata pinguedo, veluti rupto carcere elabitur atque aquæ admiscetur, aliquando etiam ei supernatat. Quid quòd carnes bubulæ quæ affectus melancholicos è fumis ortos exacerbare solent, vel coquendæ vel diutiùs servandæ sunt, quò vel ab igne, vel ab ætate innoxia ipsis teneritudo accedat; hinc enim coctu faciliores ac proindè ad fumos generandos minus apti fient.

8 Fumorum causis efficientibus annumeranda sunt venena quædam, ob insignem quo prædita sunt Calorem. Nerium ventrem inflat, ac rugitus in intestinis excitat. Ixion & Chamæleon niger, ventris tormina pariunt; Aconitum & Napellus caput perturbant, vertiginem & fumum in visceribus copiosum creant, totius denique Corporis tumorem efficiunt, ob impeditam scilicet transpirationem, eò quod frigus extremas Corporis partes priùs occupet; unde occisorum à venenis Cadavera utplurimùm post mortem inflantur: Viperæ denique atque Aranearum morsus ventrem in ingentem attollunt molem. Una eadémque omnibus operandi ratio; intensus nempe summóque vigore præditus Calor. Unde omnem pænè totius Corporis humorem attenua-

attenuabilem, cujuſcunque demùm generis is fuerit, in venenoſos quoſdam convertere halitus potens eſt.

SECTIO VIGESIMA

De Morbis à Fumo Flatúque ortis, eíſque Medendi ratione.

1. QUibus verò Corpora flavedine tincta ſunt ſive ob temperamentum, ſive ob cachexiam ab exuſtâ præ nimio calore in bilem pinguedine, illis enaſcitur *Fumus*, Hinc *Hermocrates* & *Apollonius* (narrante *Hippocrate*) tum Icteri tum Flatulenti erant, imò Phrenitici quoque, & Comatoſi. Item, qui temperamento ſunt calido, habitu gracili, ſqualido ſtrigoſóque & capillamento nigro, ſi Cereri Bacchóque liberè indulgeant, otio dediti ſint, uliginoſo degant loco, Sanguinémque tenuem ac fervidum habeant, prâvâ hâc anathymiaſi indies cruciantur. Quæ quidem omnia ferè morborum genera ſimulat, declusâque plerumque medicaminum ope, eò contumaciæ inveteraſcit ut, (affectu Corporis in Mentem quoque redundante) non morbo, ſed faſcino prorſus ac veneficio quodam laborare eos vulgò exiſtimetur; præſertim Epid. l. 3.

cum præ inſcitiâ ad Flatus ſeu Fumos diſcutiendos adhibentur Medicamenta calida. Hæc etenim, ob materiæ exceſſum, ab incurſante morbo adeò non protegunt, ut potiùs hoſti nimiùm jam potenti vires adjiciant.

2. Fatendum quidem eſt, Symptomata eadem accidere etiam ab humorum (modò omnium, modò hujus illiúſve) plenitudine, quando ſcilicet evacuatio debita ac ſolennis intermittitur, ſive id fiat ob tranſpirationem ab occluſis poris (præſertim pedum) prohibitam, ſive ob fonticulum clauſum exiccatúmve; unde à ſucco ſeróque ultra modum abundantibus, vaſa diſtenduntur, celeriórque fit Sanguinis circuitus. Afferendum tamen, etiam tunc à calore immodico tanquam à Causâ Effectrice mala iſta proficiſci. His adjungenda ſunt Exercitia nimia, Vigiliæ, atque immoderata à cibis Abſtinentia; quod tamen non ſic intelligi velim quaſi novum Calori fomitem ſeu materiam ſuppeditent iſta, ſed, quòd præexiſtens minera ab aquearum partium exhauſtu faciliùs in vaporem craſſum atque acrem rarefiat; unde vehementi excitato viſcerum incendio, ingruit Febris aurium tinnitu, præalbis ſpumoſíſque egeſtionibas (Fumi Flatúſve indicibus) comitata. Sentiunt nonnulli præ Adiapneuſtiâ

(Flante

(Flante Borea) etiam in lectulis decumbentes, dolores atroces, per inteſtina longè exporrecto motu vagantes, unà cum ſonitu & murmure, ventriculi turbatione, ructibus, nauſeâ, vomitu, alvíque aſtrictione inſigni, aliquando etiam dolore nephritico; quibus malis Sudor liberior æſtivâ tempeſtate erumpens lenimen attulit. Neque tamen levamen iſtud acceptum referendum eſt Sudori, perinde ac ſi materialis morbi hujus cauſa is eſſet; cùm è contrà ex dolore acri, mordaci, urentéque ex urinâ admodùm paucâ, eâque impensè flavâ ardentéque, à Febre denique comite manifeſto liqueat, eam Fumum eſſe non Flatum, proindéque à materiâ inflammabili ortum ducere: Flatus autem cùm à Sero caloris ope rarefacto naſcatur, frigidus eſt, ſimplex & qualitatis expers, ſolâque partium diſtentione dolorem infert, non pungens & dilacerans, atque ignis ſeu cauſtici inſtar continuum ſolvens, cujuſmodi eſt Fumi indoles.

3. Hunc etenim calidum eſſe præter ea quæ materialiter aut effectivè concurrunt (de quibus jam ſuprà dictum eſt) Juvantia quoque affatim teſtantur: Unde in dolore Colico è Fumo enaſcente, monuit *Paulus Æginetа*, nè vehementer calida adhiberentur remedia; ab agen- l. 3. c. 43.

tibus ſiquidem ejuſmodi humores liquefacti funduntur, atque, in Fumum redacti, morbum augent: Monuit quoque, adhibendam eſſe humidiorem frigidiorémq; victûs rationem; cavendum verò eſſe à cunctis acribus tum eduliis, tum medicamentis; ex ſuperfuſionibus, cataplaſmatis, fomentis, potúque Vini, præſertim vetuſti: præſcripſit autem Stupefactoria quæ tenues mordacéſque humores incraſſant & mediocriter refrigerant. Narrat idem de Colico quodam Epidemico, qui, ab *Italiæ* finibus incipiens, per pleráque Romani imperia loca peſtiferæ cujuſdam contagionis inſtar, graſſatus eſt; unde non pauci in morbum Comitialem, alii in Paralyſin incolumi ſenſu, nonnulli autem in utrumque delapſi ſunt. Magna pars eorum qui in Comitialem ceciderant mortui ſunt; ii verò quorum morbus in Paralyſin tranſierat, utplurimùm evaſerunt incolumes. Morbo hoc correptis Medicus quidam *Italus* operam ſuam commodavit, neque quicquam amplius tentavit quàm quibus modis Calori, Fumorum cauſæ, frigida adminiſtrando obviàm iret. Præſcripſit itaque Lactucarum crudarum & refrigeratarum, intubíque eſum vel ultra ſaturitatem; juſſit etiam manducare Uvas, Mala, durioríſque carnis Piſces, Cruſtacea cujuſcunque generis fuerint,

fuerint, pedes Bubulos, Bulbos, aliáque id genus non facultate modò, sed tactu etiam frigida. Vinum rarò admittebat, nisi aquâ gelidâ dilutum; frigidam verò vel poscam propinabat. Hâc methodo complures ab affectu hoc vindicavit; nonnullos etiam ex illis qui jam in Herculeum morbum vel nervorum resolutionem prolabi cæperant, præter omnium opinionem, servavit.

4. Morbum huic similem vidi ipse apud *Barbados* Anno 1650. qui per totam pænè grassabatur Insulam; multos occidit, cæteros, post diros cruciatus, in brachiorum conjecit Paralysin; adeo ut diu manus levare ad Caput, officii causâ detegendum, non valuerint.

5. Præter internè sumpta, adjuvant quoque extrinsecùs applicata: unde, si premat necessitas, non displicet *Julii* consilium hortantis, Linteamina triplicata aquâ frigidissimâ madefacta ventri admovere, quorum ope dolorem illico remitti expertus est. Huic medendi methodo astipulatur *Valescus*; qui intestinorum torsione æstate post itineris tædium laborantem à filicibus aquâ frigidâ madefactis ventrique alligatis, infra quartam unius horæ sanatum fuisse narrat. Quod idem confirmare videtur *Tralliani* & *Avicennæ* consilium; qui in causâ calidâ jubent

Crato. l. 4 Epist.

l. 4. c. 28.

jubent fieri Emplastrum è rebus frigidis, solatro utique & pampinis vitium. Credo autem præscripsisse ipsos hujusmodi post universalia, ob maximum incendium, & ubi nimis attenuata materia facile densari possit. Adhibenda vero est cautio, nè diutiùs frigidæ usu morbus in Paralysin transferatur. Quid quòd in doloribus Renum totiúsque Abdominis cum divulsione & contractione violentâ, sive ea nervosi sive membranosi generis sit, nullum præsentius est certiúsve remedium quàm fomenta humida, imprimis verò Semicupium quæ exolvunt convulsionem & continuitatem solutam suæ restituunt integritati. Quantum in passione Hystericâ & Flatu hypochondriaco aliisque fumosis morbis prosint frigida, omnibus jam notissimum est.

6. Mille hujusmodi exempla de Fumis Flatibúsque congerere licet, déque modis quos in horum curatione observârunt Medici: verùm si singula percensérem, in infinitam pænè excrescerent molem, Lectorísque tædii abundè, parùm verò fortasse fructûs allatura essent. Longè autem tùm ad brevitatem tum claritatem consultius, tum instituti quoque nostro accommodatius erit, si postquam Medicinæ unâ aut alterâ instantiâ litatum sit, Philosophiæ, uti par est, primas concesserimus

cesserimus partes; & quæ sparsim dissolutarum more scoparum commemoravimus, ea in communia eadémque firmissima Naturæ Principia stabilitatem inde nactura compegerimus.

7. Naturas itaque rerum penitiùs introspicientibus primò occurrit tum Flatus tum Fumos esse pertenuis substantiæ, ac proinde fluidos & rarefactionis ope natos, non tamen rarissimos: quare ulteriorem admittunt Rarefactionem, modò causa applicetur, ut & Condensationem; cùm in affectionibus accidentalibus idem sit contrariorum subjectum. Porro, si horum utervis corpore conclusus molestiam creet, eam duplici modo exhibere possunt, nempe vel nimiâ partium quibus continentur distentione, ut in Flatu contingit, vel etiam punctione, dilaceratione sive ustione quâdam, utì in Fumo experimur. Duplici etiam ratione malis hisce occurri poterit; nimirùm vel infestam exhalationem penitùs amovendo, quod Discussione seu Explosione fit; vel eandem in minorem locum compingendo, simúlque eam (quod utique priorem comitari necesse est) in leniorem indolem alterando ac placabiliore imbuendo qualitate. Hoc autem proprium ac genuinum est Condensationis opus, sicut Discussio est Rarefactionis: Est enim Discussio

cuſſio alicujus rei in diverſas partes avectio, quod, cùm ante diſcutiendum fieri non potuerit, reſtat omninò ut diſcuſſio ſit partium illius rei attenuatio, quò per poros quibus paulo ante impares erant avolent jam vel abigantur; nam, ſi per Inteſtina expellantur (licet id quoque à Caloris virtute fiat) Diſploſio potiùs quam Diſcuſſio dicenda eſt. Denique, ſi effectuum iſtorum proprias inveſtigemus Cauſas, tum à ratione tum Experientiâ monemur, Frigidorum eſſe denſare, diſcutere verò ad Calida ſpectare.

8. Jactis jam Principiorum Fundamentis, qualis iis ſuperſtruenda ſit Medicinæ Praxis conſiderandum eſt.

9. Sit itaque modica Fumi vel Flatûs quantitas, cætera verò omnia (de quibus poſteà) paria; adhibenda ſunt procul dubiò Calida ad eum diſcutiendum. Parva etenim materiæ illius quantitas facilè ad inſignem tenuitatem redigi poterit; unde facilè in cæteras Corporis partes primò diſſipabitur ac tandem per poros evolabit.

10. Sit parva eorundem copia, pororum tamen alvíque aſtrictio, evidens eſt ab adminiſtratis calidis auctum iri Calorem priſtinum & fumos excitantes: Qui, cùm exire nequeant, in Caput neceſſariò evecti, vertiginem alióſque peſſimos effectus

fectus ſunt creaturi: Quare in eo caſu tentandum eſt alvi ſolutionem conciliare, vel Fumos Flatúſque jam ortos admotis frigidis denſando temperare.

11. Eadem ineunda eſt curationis methodus, quando adeſt temperamentum inſigniter calidum; tunc enim duplicem ob cauſam adhibenda ſunt infrigidantia, nimirùm, tum ut Calor nativus (accenſu facilis) moderetur; tum nè, novo accedente, is qui prior erat, nimiùm accendatur; & ſic, dum inquietos Scyllæóſque Fumorum Flatuúmve vortices evitare contendimus, in voracem Febris Charybdim, dicam an Ætnam, incautè incidamus.

12. Adſit denique permagna Flatuum Fumorúmve copia; ſi eos diſcutere velis, proportionata, hoc eſt, permagna calidorum vis ingerenda eſt, quò tanto affectui par eſſe poſſit: Verùm ab Agente adeò violento neceſſe eſt, ut diſtentio illa quæ à Flatu, & Symptomata illa quæ è Fumo enaſcuntur, mirum in modum, ídque ſubitò augeantur. Quare diris torquebitur cruciatibus miſer ille ægrotus, & Medici inſcitiæ pœnas dabit. Reſtat itaque ut, in hoc caſu, infrigidantia atque incraſſantia modò intùs ſumantur, modò exteriùs applicentur, quæ vapores iſtos denſando compeſcant atque in arctiorem redigant

locùm

locum per Urinam Seceſsúmve poſtmodùm excernendos. Ad quem effectum cum primis adjuvat exhalationum iſtarum natura, Meteororum ſive imperfectè mixtorum redolens indolem; unde facilè ad materiem unde nata fuerant, modò cauſa detur idonea, reduci poterunt. Veram autem eſſe hanc morbi iſtius medendi rationem, præter manifeſtum ratiocinii lumen, exempla ex *Ægineta* & *Valeſco* nuper commemorata luculenter demonſtrant.

13. Ex diſcurſu hoc ſuccinctè deducto, quem, — *ſi verbis audacia detur*, haud timeam affirmare Demonſtrativum eſſe, hoc eſt, ex Principiis certiſſimis evidenter deductum, patebit quâ methodo inſiſtendum ſit in omnibus illis medendis affectibus qui è Flatibus aut Fumis oriuntur; modò, dum ea, quæ generatim expoſuimus, ad particulares applicamus caſus, addenda addita ſint; quare, ſi quando ſecùs evenerit (uti in rebus materiatis aſſolet) certò concludendum eſt non per ſe ex Flatu Fumóve proficiſci obſtaculum illud, ſed ex aliquâ aliâ re adjunctâ; cujus affectûs ſi proprium etiam & per ſe remedium pari diligentiâ inveſtigemus, certiſſimam inde medelam Prognoſticari licebit. Quæ quidem methodus, ſicut Medicinæ operam navantibus ſpem præbebit ad

certam

certam Medendi rationem aliquando perveniendi, ita infaustam & pernicioſam Agyrtarum coarguet inſcitiam, uno eodémque remedio cunctos medicatum iri morbos perfrictâ fronte jactitantium.

SECTIO VIGESIMA PRIMA.

De Amaro.

1. UTBilis tum natura tum modus quo generetur, rectè intelligantur, ab ejuſdem affectione aliquâ, ſenſum noſtrum feriente, quâque inſigniter pollet tanquam à Principio notiſſimo inveſtigationem noſtram inchoptare oportebit. Adeò verò prædominat elucétque in eâ Amaritudo, imò ad Adagium uſque & κατ' ἐξοχὴν ipſi tribuitur, ut non modo *Amarum*, ſub communi ſumptum notione, Genus ipſius ſit, verùm idem quoque ſecundùm eminentem ſui gradum acceptum, aliquo modo Bilis quoque differentiam conſtituere videatur. Priùs itaque de *Amaro* agendum, quò recto ordine ad propoſitam nobis Concluſionem provehamur. Gradatim verò in hujus naturâ expiſcandâ, nè titubemus, incedendum eſt.

2. Id autem inprimis conſtat, Pinguia, interque

interque ea Dulcia præcipuè, ex nimiâ affatione atque semiustione quasi Amaritudinem concipere. Patet hoc in Butyro, in Lacu bituminoso *Asphaltite*, unde in æstate quàm in hyeme magis amarescit; in Vino, Saccharo, Melle & Opio quæ omnia ab elaboratione debitâ vehementiori Amaritudinem contrahunt. Succus denique ille ex quo Aloe nascitur, cùm primitùs aquosæ naturæ sit, flavescere atque Pinguedinis naturam induere necesse habet, antequam ex coctione vehementi in summè Amarum convertatur. Accedit quòd omnia quæ in gradu excellenti Amara sunt, inflammatu quoque sint facilia; quod Pinguedinis proprium esse jam ostendimus. Quod idem de reliquis quoque Amaris conjicere licet, modò ex illis particulas purè amaras ex aqueoßoribus secernas; cùm Cichorea, Cicuta, non nisi pingui virescunt Solo, è quo necesse est ut pinguiusculam etiam naturam è traduce accipiant. Statuendum itaque videtur, causam Amaritudinis materialem esse Pingue; Effectricem autem Calorem intensum aqueas aereasq; in quibus æquabilitas illa sensui grata consistebat, magnâ ex parte extrahentem particulas, relictam verò massam in subtiles simulque asperas (unde pungendi radendiq; seu abstergendi vim nancisc uuntur) exiccantem.

3. Favet

3. Favet Sententiæ nostræ Problema *Aristotelis* asserentis, fructuum alios partem radici proximam habere amatiorem; aliis verò, naturâ siccis, postrema pars, succo dulci concoctóque inde absumpto, jam pleniùs siccatur atque amarescit. *Redditur enim* (inquit ille) *unumquodq; amarum cum ampliùs exiccatur, ut Oliva Glandésque inveteratæ efficiuntur amaræ.* Sect. 2. n. 25.

4. Favet etiam quod amara omnia nutritioni prorsus inidonea sint. Cùm enim illud solum nutriat quod temperatum ac naturæ nostræ congruum est, maximè verò congruum sit Pingue, præcipuè verò Dulce, eatenùs certè edulia cuncta grata & nutriendi virtute aliquali prædita erunt, quatenus ad Pinguedinis naturam propè accedunt; quare, cùm illud quod Amarum fit, Pinguedinis jam supergrediatur transeátque naturam fitq; ejusdem corruptio quædam, omni profectò nutriendi virtute destitui illud prorsus necesse est. Hinc Amara ab Animalibus veluti excrementa rejiciuntur, esui inutilia sunt, imò mortifera infantibus; &, si qua fides Authoribus, Amygdalæ amaræ Vulpes enecant; forsan addito Caloris incremento, cùm sit Animal istud valdè calidum.

5. Favet denique, quòd Cicutæ radices, Naporum vel Siserum instar dulces

esse

esse compertum sit: cùm tamen in superiori (utpote excoctiori) parte amarescat valdè. Quod quidem indicium videtur manifestissimum, Amarorem illum è Dulci ac præpotenti Ignis actione corrupto ortum habuisse.

6. Obstat autem *Aquapendenti* & *Valeriolæ* judicium, rationibus haud parvi momenti fultum. Contendunt siquidem illi, Amararem, modò adsit pariter Siccitas, tum à Frigore tum à Calore proficisci, idque commonstrare nituntur exemplis Plantarum complurium, quæ licet valdè Frigida, Amara tamen sunt. Horum argumenta non insciè diluit Medicus idemque Philosophus præstantissimus, *Valesius*. Nos paulo altius (quoad possumus) eorum dilutionem repetemus. Omnes, Secundæ Qualitates à quatuor Elementaribus seu Primis diversimodè mixtis originem trahunt; Tertiæ item & Quartæ à multifariis antecedentium seu præsuppositarum remissionem. Porro, hujusmodi Decomposita (succum v. g. Cichoreæ, Cicutæ, vel herbæ Aloes) quantumvis ad oculum homogenea appareant, è quamplurimis tamen heterogeneis coalescere ex particulis, si qua fides rationi, vel ipsis etiam oculis microscopii ope majori perspicacitate donatis, dubitare non licet. Denique certissimum est repe-

riri

riri in mixtis fluidis aliquando frigidarum partium proportionem centuplam, calidarum verò non ultra ſimplam; tamen ſapere integram maſſam illam ſaporem calidæ illius, non autem reliquarum nonaginta novem, ut patet cùm Salis manipulus in congium aquæ, condiendi causâ, injicitur: Nec mirùm, cùm aqua cæteroquin prorſus *inſipida*, Sal autem qui additur ex omni ſuî parte vehementer *ſapidus* ſit. Idem quoque (ut ad rem noſtram propiùs accedamus) patebit ſi pauxillum Bilis in magnam aquæ quantitatem indatur; comperimus etenim illam, utpote eximiè ſapidam, alteram licèt multiplo majorem, adeò amaritudine infeciſſe ut eam ſolam in illâ eminere qualitatem exiſtimari poſſit.

7. His præſuppoſitis, reſpondendum parvulam quidem in herbæ Aloes, Cicutæ aliarúmque id genus ſuccis reperiri calido-ſiccarum particularum quantitatem (ſive eas è tellure propinquâ exuctas, ſive ex alteratione natas ſtatuamus) cùm tamen guſtum inſigniter afficere aptæ ſint hæ, ſolæ proinde eminent, cæteris *ſenſui illi* neutiquam ſe prodentibus, quantumcunque *Tactûs* Senſum, ſecundùm qualitatem aliquam Tactilem (Frigus ſcilicet) vehementer afficiant: poſſe autem particulas ſicco-calidas licèt minutiſſimæ ſint

oceano pænè frigidarum innatare, ſuam tamen diutiſſimè ſervare naturam ab exemplis Salis Biliſque jam commemoratis manifeſtum redditur; Et, ſi effecta conſulamus, conſona eſſe illa doctrinæ traditæ poſtmodùm apparebit: Interim compertiſſimùm eſt, Opium, Aloën & hujuſmodi alia cùm ad perfectam Amaritudinem longâ excoctione pervenerint, inſtar Ceræ, idque citò, flammeſcere; unde de eorundem particulis nondum excoctis ſed crudâ adhuc immerſis aquâ judicium conforme deſumi poterit, concludíque eaſdem, minutim licèt hîc illîc ſparſas, pinguis (utpote inflammabilis) ac proinde aliquantulùm calidæ eſſe indolis.

8. Hinc patet ratio, cur Fructus ii qui, immaturi adhuc, vehementer amari ſunt, nunquam deinceps dulceſcant; cùm enim in iſtorum radice ſeu ſemine præpolleat Amaritudo, Sítque ea (utpote Caloris filia) qualitas valdè activa, ſuâ ipſius indole accedentem imbuet Succum, quæ à continuato Solis ardore poſtmodum augebitur; adde quòd Siccitas primæva, quicquid adjunctum fuerit eâdem qualitate, per formalem (ut loquuntur Philoſophi *Ariſtotelis* ſequaces) mutationem, impartietur. Quod ſi in initio minùs amari fuerint, aliquando dulcedinis cujuſdam induent naturam, ſuperatis ſcilicet

à

à magnâ Pinguedinis ſuccedentis copiâ pauculis illis debilibúſque quæ amareſcebant particulis. Tripliciter autem, generatim loquendo, id fieri poterit, per ſuccì pinguis attractionem, unde fiunt dulcà mari; per humidarum partium admiſtionem, unde redduntur amari aquoſi, vel ex Dulci, loco Amari inter coquendum excreti, ſuccedente, quo omninò dulceſcunt. Horum trium modorum quem vis accipe; Certè à Calore in Amarum tanquam frigidum quoddam agente atq; illud immutante id peragi, utì rationi diſſonum neque ullâ certâ experientiâ nixum, vehementer refragamur.

9. Patet etiam quale inter Amarum Salsúmque intercedat diſcrimen; Licèt enim utrumque à Caloris exceſſu conficiantur, iſtud tamen è terreſtribus & aquoſis (plurimo admiſto Igne) conſtat partibus, illud pinguibus atque plurimùm dulcibus; quibus, ſi primævam eorum conſtitutionem ſpectes, modicus Ignis gradus: ſi acceſſoriam (cùm ad amaritudinem nempe exuſtæ ſunt) permagnus immiſtus eſt, non tamen æqualis ei qui in Sale reperitur: Unde Amaritudo videtur eſſe quidam ad Calorem gradus; ſaltem ſi in Amari materiam operatio incidat, cùm Pinguia & Dulcia à vehementiori exuſta Calore per Amari medium

tranſeuntia tandem aliquando in Salſedinem provehantur. Et ſanè ſi Opium, Amarorum longè flammabiliſſimum, ad cineres concremetur, loco Amaritudinis Salſedinem experiemur. Ex eiſdem Principiis deducitur ea quæ tum Amara tum Salſa ſunt, è terreſtribus pinguibúſque conſtare partibus eo gradu exuſtis, ut in utriuſque qualitatis confinio Caloris operatio ſiſtatur.

10. Denique ſi Amari qualitates ſpectemus, quatenùs à temperamento noſtro recedit, eatenùs (hoc eſt, tertio gradu) Calidum & Siccum eſt, aſtringentibus autem tenuius, acribus verò craſſius habetur. Ab igneis partibus atque terreſtrium inæqualitate ſiccitatéque pungendi, divellendi, abſtergendi, aperiendíque vim habet; hinc craſſum incidit, menſes movet, & pulmones ad pus & pituitam expurgandum irritat (unde morbo comitiali laborantibus ſalutiferum exiſtimatur) ob Siccitatem, putredinem (humidas diſſipando particulas) arcet; atque ulcera ſordida expurgat; è contrà hæmoptycis viſceribúſque nocet. Quòd enim Abſinthium ventriculo profit, id non tantum Amaritudini adſcribendum eſt quantum aſtringendi qualitati quâ inſigniter pollet.

11. Ex dictis colligitur Amari definitio;

nitio; Eſtque prorſus hujuſmodi: Amaritudo eſt qualitas ſapida è Pingui à Calore in ſiccam aſperámque ſubſtantiam nimium excocto orta; vel, Amaritudo eſt qualitas ſapida è Calido & Sicco igneo & Sicco terreſtri certo gradu contemperatis orta. Fit ſiquidem Amarum è terreſtriori, hoc eſt ſicciori Pinguedinis parte. Verbum addam ad ſtabiliendam noſtram, evertendam autem *Averrois* Sententiam; ſi quævis ſiccitas, etiam purè terreſtris & frigida, ad Amarorem ſufficiat, nec neceſſaria ſit ignea illa ſeu Calori adjuncta, mirum profectò videbitur quo Naturæ molimine in adeò exiguas comminuantur moleculas partes illæ ſiccæ & terreſtres ut Linguæ poros ſubingredi (imò ſtatim eliqueſcere) aptæ ſint; quare dicendum omninò ab ejuſdem Linguæ humore relaxari ac aperiri rei amaræ texturam, ac ſubitò (pari prorſus modo quo ſi calcem vivam aquâ immergas) evolare inde particulas igneas terreis ſubtiliter miſtas, guſtandi opus peracturas. Præterea, ſi Opium vel Aloen igne cremes donec flammare deſinant, comperies Amaritudinem penitùs ablatam, & tamen ſiccisſimas, friabiliſſimas, ac proinde comminutu facillimas ibi manere partes, irrefragabile Senſuum teſtimonium fidem tibi faciet.

SECTIO VIGESIMA SECUNDA.

De Bile.

1. DE ſuperiori Amari (quod *Terra Bilis* à nonnullis appellatur) notione facilis deſcenſus ad *Bilem* ipſam, mutatis mutandis, additíſque addendis, hoc eſt propriis differentiis; ſicut enim Amarum, ſub communi acceptum ratione, à Calore tanquam ab Effectrice Causâ, è Pingui verò tanquam materiali fit, ita Bilis, quæ eſt *tale Amarum*, à *tali* Calore, naturali ſcilicet vel adventitio Corporis Animantis, atque è *tali* Pingui, butyroſâ nempe Chyli parte originem trahit. Cui optimè conſonat *Hippocratis* Doctrina; *Quibus*, inquit, *Pingue ineſt, bilis flava gignitur*: Unde omnium in Corpore humorum minima eſt iſta, atque receptaculo multò minori quàm Urinæ veſica donata, eò quòd Flos ille Lacti ſupernatans (è quo Butyrum conficitur) non niſi exiguâ proportione integræ ejuſdem Lactis reſpondeat ſubſtantiæ, neque Butyrum quartam hujus partem excedat; adde, ſatis magnam partis purè butyroſæ portionem naturaliter in Spiritum, præternaturaliter etiam in Fumum abire; unde parùm admodùm excrementoſi bilioſo

Epid. l. 6. Sect. v. & vi.

bilioſo gignendo reliquum erit: neque enim purus & ſincerus Sanguis, nec Serum aut Succus caſeoſus, ob ineptitudinem atque incongruitatem materiæ, bileſcere poſſunt. Auctum tamen iri atque incandeſcere Bilem ab Hepatis caloris incremento, indebitóque Sanguinis Calore item à cibis calidis, labore, inediâ, æſtate, & tandem à juvenili ætatis ardore ſuadet Ratio, comprobat Experientia.

2. Porrò, cùm Bilis naturaliter flaveſcat, præter verò naturam aliorum etiam complurium colorum ſit, ad magnam profectò Naturæ ipſius elucidationem, & veluti ad oculum inſpectionem conferet, ſi hos omnes in proprias uniuſcujuſque cauſas referemus. Quod dum perficere tentemus, dabit Lector veniam ſi, claritati ſtudentes, paulò uberiùs quàm neceſſitatis rigor poſtulet, in Colorum cauſis expiſcandis provehi videamur. Primò itaque pro Principio ſtatuendum, cùm Color nihil aliud ſit quàm diſpoſitio quædam æquabilis vel inæquabilis in ſuperficie ad plus minúſve luminis reflectendum apta, quod autem lumen perfectè tranſmittit idem reflectere non valeat, fieri non poſſe ut aliquid Coloratum ſit, quod non idem ſit aliquatenùs opacum; quare, cùm Opacitas ſit *Terræ* peculiaris

elemento huic acceptum referendum eſt, ſi quid reflexo Coloris ſplendore luceat: hoc eſt, ni eſſet Terra, *Splendor* quidem luminoſus authore Igne, eſſet, *Color* verò non eſſet. Porrò, ſuperficies Corporis opaci quò æquabilior eò plus luminis reflectit, quò inæqualior ſeu poroſior, eò minùs; ſepeliuntur ſiquidem in cavitatibus illis radii, neque è nocte illâ, reflexionis ope reſurgere valent. Fingamus itaque mente molem quandam puri Terræ Elementi intra Sphæram Agentium naturalium collocatam, à miſtione tamen cum cæteris Elementis ſervatam immunem; certè, cùm Æquabilitas ſit Figuræ partium unitas quædam, Inæqualitas verò infinitis pænè modis gradibúſque multiplicabilis ultra omnem proportionem facilius erit, inæquabilem ſeu aſperam ſuperficiem quàm æquabilem ſeu abſolutiſſimè lævem datæ moli obducere; præſertim ubi infinita pænè adeſt cauſarum diverſarum multitudo, ſuperficiem in quam agunt, variegare apta, ipſa autem Terræ (utpote ſicciſſimæ ac proinde friabiliſſimæ) indoles complanari à cauſâ aliquâ accidentariâ, modò adeſſet, ineptiſſima. In quamcunque itaque te vertes partem, Inæqualitatem moli aſſignatæ neceſſariam ac naturalem comperies; Æquabilitatem verò planè impoſſibilem;

hoc

hoc eſt, *nigerrima* futura eſſet ſeu minimum Lucis reflectens moles illa.

3. Tantundem itaque ſuo gradu concludere licebit de Terreâ naturâ in mixtis repertâ (ſive purum ullum alicubi extet Elementum, necne) ſive de Mixtis ipſis quatenùs terreſtres ſunt, ſeu Terreæ participes ; hoc eſt, eatenùs, cæteris paribus, nigricabunt, quatenùs plus Terræ habebunt admiſtum ; quòd verò Albedinem verſus plus minúſve vergant, obſequioſæ & pluſquam cereæ humidorum Elementorum cavernulas illas opplentium, ſicque minimas, intimas primogeniáſque mixti illius particulas in lævorem complanantium, tribuendum eſt indoli.

4. Scio multa adverſus diſcurſum hunc objectum iri à phantaſiæ cultoribus (nihil enim eſt, ratione licèt evidentiſſimâ concluſum à quo non refugiat maximè Imaginatio noſtra ſenſu perceptis aſſueta, modò in imperceptibili quantitatis exiguitate fundetur) quale eſt illud de duobus marmoribus exquiſitiſſimè lævibus : quorum unum perfectè album, alterum contrarium albo apparet ; & mille id genus alia. Verùm, non ſatis attentè animadvertunt vel computum ineunt qui hæc opponunt, quantulæ ſint partes illæ in quibus primæva mixti elaboratio conſiſtit ; quàm rudis ſit Tangendi Senſus

præ

præ acutissimâ oculorum reflexum lumen percipientium acie; quàm immensum denique crassæ sint asperitas & lævitas illæ quas manu palpamus, præ iis quæ lucem ab omni puncto reverberandi vim habent. Hæc si attento pervolvant animo nequaquam lævorem ab Artis ruditate profectum, naturæ opificis Texturæ audaciâ plusquam Ariadnæâ æquiparaverint; cùm in minimâ parte asperâ quæ à Tactu perceptibilis est, innumeræ pænè reperiantur eæque forsan lævissimæ, ac proinde albæ (si ad reflexionem luminis habeatur respectus) particulæ.

5. Hinc intelligitur unde Adustio denigrandi vim habet; neque enim imaginandum est, Ignem cùm in rem quampiam agit vehementiùs, fuliginem quandam secum asportare, quâ superficiem ejusdem inficiat & quasi obducat, sed (quod suum est) aqueas aëreasque exhalet partes, unde sola quæ remanet Terra nigritie nativâ horrens conspicitur. Sed Principiis jam satis supérque immorati sumus; restat ut easdem ad materiam subjectam devocemus, & Colorum quæ ad Bilis naturam spectant *ratiunes* solvamus.

5. Albicat quàm maximè Cremor è quo cogitur Butyrum; quod proinde flavedinem (quæ proxima est ab Albo nigrorem

nigrorem versus recessio) induere necesse est. Idem in Cerâ accidit; nam Sonchi flores è quibus utplurimùm ab Apibus colligitur, flavescunt pariter, atque è succo itidem lacteo enascuntur; Item fructus pænè omnes cùm ex diutinâ Caloris Solaris actione humidorum Elementorum redundantia exhalatur atque eorundem residuum particulis Terrenis probè contemperatum in succum pinguem dulcem seu mitiorem concrescit, flavi evadunt. Aurantia similiter post virorem (aquæ terræque indicem) flavescunt primò ob succi pinguioris appulsum, & adustionem, dein, quo gradu coctionis operâ, decrescit materia uda, solidior verò seu terrestrior accrescit, pari omninò passu ad Colorem veniunt saturatiorem. Eadem est Lardi diutiùs aut calidiori loco asservati indoles. E quibus omnibus patet cur Bilis naturaliter flava sit; Fit enim pariformiter primùm è Chylo seu Lacte, cui quidem butyrosum seu pinguiusculum quiddam inesse nemo neget; hujus pars magis ignea & aërea in Spiritum abit aut fumum, terrestrior verò fæx in substantiam quandam coalescit opacam, quam *Bilem* nominamus: Quæ tamen, Lacteæ, è quâ nata fuit, originis memor, eodem ornatu, quoad licet, induitur, ob continuam tamen à Calore effervescentiam,

veſcentiam, aliquali nigritie dehoneſtatur & flava evadit; unde etiam Splendorem emittit quâdam obſcuritate offuſcatum. Imitatur autem quandammodò ſummam flammæ partem ubi in acumen fumeum deſinere incipit; in quâ obſervare licebit manifeſtam à Colore albo per flavedinem, tanquam primum ſeu proximum gradum, ad nigrorem tranſitionem.

7. Proprius itaque ac nativus Bilis Color eſt Flavedo; à quâ utrumque extremum verſus degenerare poteſt. *Pallida-flava* aliquando eſt, quando nimirum cum ſucco Lacteo miſcetur ut in cachecticis. Si cum ſucco Caſeoſo à Calore aliquantulum inſpiſſato conquaſſetur, & ſic craſſior reddatur, naſcitur Bilis *vitellina*; Si vehementiùs torreatur, ſimúlque materiam crudam adjunctam habeat, fit (vel ſaltem fieri dicitur) *Porracea*. Quòd ſi in Ventriculo vel Inteſtinis in materiam viſcidam (quæ plurimum aquæ cum terrâ bene ſubactum habet) impingat, ob opacitatem terreſtrem cum uligine temperatam ſubſtantiæ quædam *Viridis* efficitur: Sic (nobis obſervantibus) Infantium egeſtiones viſcidæ primò flavæ ſunt, mox ubi refrixerint (& ſic magis opacæ factæ ſint, nec tamen tamdiu manſerint donec aqueæ partes penitùs exhauſtæ nigredinem induxerint) in viridem tranſeunt.

tranſeunt. Hinc etiam vomitiones egeſtionéſque porraceæ Febricantibus & Cachecticis accidunt, cum inſaniâ maximóque Vitæ periculo; cùm enim abundat Bilis flava, aliquanta ejus portio in ventriculum aut inteſtina protruditur, & viſcolæ inibi materiæ conglutinatur; unde cùm hæc ex ſe diros cruciatus & tormina excitare valeat, certè ex ſocietate adeò pervicaci reddendam eam longè magis crudelem ac dolorificam dubitare non licet. Imò in Cephalalgia æruginoſi vomitus cum ſurditate & ἀυπνία inſaniam brevì denunciant. Hæc tamen de Bile viridi & porraceâ Authorum gratiâ dicta ſunto: quamvis enim non me lateat nonnulla Animantia ſemper reperiri nativo virore tincta, neque omnis viror etiam in corpore Humano originem ſuam Bili acceptam referre videtur.

8. Libentiùs itaque concluſerim vernantem illam quæ in vomitionibus vel egeſtionibus effluit ſubſtantiam ex crudis (hoc eſt, aqueis terreníſque) conſtare partibus è malâ digeſtione natis; Effectus autem adeò crudeliſſimos ab humore iſto viridi proficiſci, nemini mirum eſſe debet, ſi mordacem cruditatis diutinæ vim, præſertim ubi ab injectâ irritatur Bile, attentè perpendat. Eſt enim humor iſte ex ſeſe innocuus, quando nimirum

ſimplex

simplex aut recens est; at tunc absque dolore ullo excernitur, nam revelâ nihil aliud est, quàm mera indigestio; sin longas in Corpore moras trahat, aliquando acescit, nonnunquam verò salsa fit; & in utroque casu erodet maximè atque ingentes, ubicunque incidet, ciebit turbas; ut non opus sit, quò has explicemus, ad bilioſam recurrere naturam; quantumvis, nullus dubitem si hæc quoque fortuitò adjuncta fuerit, eam morbum ex se satis malum pejus adhuc exacerbaturam. Quid quòd Bilem hanc viridem ex ulteriori aduſtione ſtatuant ejus Assertores; quod profectò Naturæ ordini ac progressui vehementer repugnat; cùm è Viridi (utpote cruditatis schemate) in Flavum solenniter fiat progressus, è flavo autem per viride tanquam medium ad nigritiem à Calefactione promoveri nunquam vel observavi ipse vel ab aliis observatum memini.

9. Fallit autem Authores istos Colorum extremorum mediorúmque conceptus malè applicatus; unde autumant à magis albis ad nigros per quoscunque medios patere iter, verùm non satis perpendunt, utut speculativè verum sit Colores omnes per majorem ad Album Nigrúmque accessum vel ab eisdem recessum inter se discriminari, tamen, cùm ad

Naturæ

Naturæ praxin accedere oportet, rationem longè aliam ineundam esse, incæptarique Naturæ progressum sæpenumerò à viridi, utpote rebus crudis proprio, licèt Coloris saturatior sit; inde, halatis partibus aqueis, in flavum itur; qui terreas ex coctione lævores factas & aliquando majori igneārum aerearumque copiâ subactas & contemperatas indicat, (unde oleositas etiam enasci solet) donec, procedente calefactionis operâ, extrahantur penitùs Elementa humida, nihilque pænè relinquatur præter solam Terram, nigritiei horrore vestitam, & quasi viduitatem suam pullato habitu lugubriter testantem. Quod si viridiusculum quiddam in Sanguine etiam ipso quandoque conspiciatur nequaquam idcircò ad Bilem prorsus confugiendum, perinde ac si in nullam aliam referri possit Causam; quis enim cruditatem seu indigestionem in venis neget? Imò si quis ad Bilem virorem eum retulerit, incumbit profectò ipsi rationem assignare cur non aliquando Icterus viridis æquè ac Flavus Nigérve Sanguinem inficiat. Quare, rationibus hisce commotus, bilem unquam viridem per se & solam in Homine fuisse conspectam non leviter dubito; Saltem consultum duco ἐπέχειν quàm præcipitare sententiam donec uberior tandem aliquando

quando hâc in re eluceſcat Evidentia.

10. Si Bilis paulò ultra ratam Naturæ intentionem torrefacta fuerit è flava rufa fit; pari ratione quâ auricomi Calore atque annis creſcentibus fiunt rufi & caſtanei: Quod ſi vehementior adhuc ſupervenerit aduſtio, neceſſe erit eandem devenire omninò nigram.

SECTIO VIGESIMA TERTIA.

De Morbis è Bile ortis.

1. HActenus de *Bile* ipsâ, ſingulíſque ejuſdem ſpeciebus; reſtat ut de Morbis inde, ſive reverâ ſive putativè, provenientibus pauca ſubjungamus.

2. Quamvis Icterus communis eſt potius ſymptoma quàm morbus, tamen Authorum gratiâ in hâc claſſe eum reponimus, cùm non à Bile ſed reverâ è malâ chyli in venis digeſtione oritur: Hinc, ceſſante jam diſgregandi ſeu digerendi officio, confuſíſque in vaſis humoribus, non elaboratur Bilis, neque in hoc morbo (utì aliàs fit) præ nimiâ ejus copiâ laborat Jecur, neque ullâ gravedine, tenſione aut dolore afficitur; ad hæc nulla ſentitur ſitis febríſve (unde forſan error quorundam apud *Ariſtotelem* Bilem eſſe *frigidam*

De Part. Anim. l. 2. c. 2.

frigidam exiſtimantium) quæ tamen omnia in Ictero illo qui ex plenitudine vel Hepatis obſtructione provenit reperiri cernimus. Hinc in initio Colore quodam ſubviridiuſculo ſuffunduntur morbo hoc laborantes; hoc eſt, tali qualis è Chylo albicante malè cocto naſci convenit (neque enim exiſtimandum viroris tincturam hîc contingere poſſe æqualem ei qui è primâ crudiorum adhuc in ventriculo ciborum concoctione vitiatâ oriri ſolet) poſtmodùm verò ex diuturnâ in venis morâ biliſque non ſeparatæ immiſtione flava evadit. Hinc denique à *Calidis* digerentibus, virtutémque nativam corroborantibus, atque *Amaris* quæ bilem generant extrudúntque, curatur: unde *Hippocrates* in principio purgationem vetuit nè nimiùm ſolverentur vires, aut minueretur Calor ad digerendum & excrementum quodvis ad ſua receptacula amandandum adeò neceſſarius: *Galenus* quoque multos ſe curâſſe teſtatur medicamentis incidentibus, aperientibus atq; Cholagogis. In morbi autem duntaxat declinatione (quando nimirum diſtributio fit Chyli defæcati viréſque reficiuntur) Ictericos purgat *Hippocrates*. Præcipit idem Ictericis laborare, ſudare, panem comedere, non multum bibere (aquæ ſcilicet) vini autem albi liberiùs;

quæ nullo modo convenirent ſi ex Bilis peccantiâ non autem à Caloris debilitate profectus fuiſſet morbus iſte. Quæ ſanè omnia ſi in unum conferamus, Icterum iſtiuſmodi à purâ humorum in venis præ Caloris defectu cruditate atque confuſione provenire indubiè profectò concludere licebit.

3. Quidni Icteri hujuſce Speciem quandam *Chloroſin* dixerim, cùm ab iiſdem ferè cauſis proficiſcatur, iiſdémque ſanetur remediis? Differre profectò ab eâ non niſi accidentaliter perſuaſum mihi eſt.

4. Eſt autem Icteri genus aliud è Bilis flavæ exceſſu Jecoriſque obſtructione oriundum. Abundat verò Bilis ex eſu ciborum Pinguium (è quibus generari ipſam diximus) præcipuè autem Butyri; vini etiam potu & cereviſiæ fortis. Experta loquor; novi ipſemet Fœminam quandam, cui, ex nimiâ ſub æſtivo Sole prodeambulatione dum adhuc jejuna eſſet, poſt Hepatis dolorem vehementem, Icterus iſte obtigit; undè nauſeâ, vomitu, cibi faſtidio, inteſtinorum torſione, paſſione hyſtericâ, dolore nephritico, febre & melancholiâ malè torquebatur; Hæc, ſi carnes pingues aut butyrum vel ad nucis inſtar, comederat cum pane licèt aut in condimento, mox paroxyſmo & ſympto-

ſymptomatis commemoratis correpta eſt: Si quando circa morbi declinationem irâ vehementiori exarderet vel lætitiâ nimiâ efferebatur, illicò in unguibus oculiſque ſuffuſa eſt flavedo, & pænè momento denuò evanuit; ſumpſerat illa, malo omine, medicamenta calida, in Ictero priùs dicto ſalutifera futura: in hoc verò adeò nociva erant, ut parùm abfuerit quin in Tympaniten collapſa eſſet. Adhibitis verò Medicamentis moderatè frigidis atque aperitivis, haud difficulter convaluit. Adeò permagni refert morbos morborúmque cauſas diſtinctè inter noſcere.

5. Ob Cauſam tam materialem quàm efficientem huc quoque referenda eſt fuſca illa faciei decoloratio quæ à nimis fervido æſtivi Solis ardore exteriores Sanguinis partes torrefaciente naſcitur, ac frigore hyemali abſcedit. Tandem Icterus ille qui ex viperæ morſu naſcitur hîc reponendus eſt. Eſt namque viperæ dens cavus ad ungulæ felinæ inſtar formatus, & in flexu exteriori foraminatus; per hunc materiam bilioſam in vulnus emittit, quæ pinguem Sanguinis partem ad Spiritum reſtaurandum repoſitam ocyùs in ſui ſimilem transfert: unde præ Spiritûs inopiâ & ſuperproportionatâ bile Mors ſupervenit. Solet autem Bilis per aures

etiam cujuſlibet ferè Animalis excerni, unde inviperâ pervas quoddam in dentem effunditur, quo ſe læſam ulciſcitur, lædentémq; offendit. Aborigines *Virginiæ* ut modum quo vipera (illâ quam à crepitante ſquammarum in caudâ motu *Crepundiariam* vocant) inficit, oſtendant, ejuſdem fauces comprimere ſolent; quo facto, flavæ quædam guttulæ è dentibus ſtillant: Et Agyrtæ quidam apud Indos orientales, quò victum quæritent, duo Serpentûm genera in corbe portant; unum innocuum, venenoſum alterum; innocuo mordendum brachium ultrò præbent, effuſóque Sanguini (continuitate ipſius cum eo qui in venis eſt priùs abſtergendo ruptâ) tantillum è viperæ dente ſtillantis admiſcent liquoris; quo facto, ebullit ſtatim Sanguis ille extravaſatus, fervet, tandémque flavet. Ad ebullitionem & impetum hunc compeſcendum *Abenzoar* adhibuit Bezoar cum aquâ Cucurbitæ; conveniunt quoq; ſuccus Citri, Pomorum acidorum, ſuccus item & aqua Endiviæ, Acetoſæ & Portulacæ; Mucilago *ſemi*: Pſyllii & hujuſmodi. Quod quidem nullâ occultâ qualitate efficiunt ſed notiſſimis illis Aciditatis quæ Amaritiei, & Frigiditatis quæ Calori contrariatur, Viſciditatis denique quæ Motui tardando inhibendóque aptiſſima eſt.

est. Nec dubitandum quin consimilis sit naturæ venenum illud quod ex aculeis suis effundunt Apes: cujus rei memorabile contigit nuperrimè exemplum in Pago quodam propè *Londinum*; ubi, cum Equus alveare calcibus deturbâsset, exilientes turmatim infensi Incolæ vindicibus aculeis hostem undique confodêrunt, tandémque Pythona illum vulneribus venenatis tumidum & innumeris sagittis stratum, peremerunt. Unde sic discurro; Tum Insecta omnia calido-siccæ sunt naturæ, tum Dulce, quo solo vescuntur Apes inter pinguia præ Calore eminet. Hoc itaque si ad eum gradum usque excoctum cogitemus, ut pari excessu bilem exuperet, quo bilis mel, genuinum veneni hujus conceptum habebimus; simúlque rationem pervidebimus quare eâ celeritate atque energiâ effectus suos consequantur venena ut vulgo rerum causas non penetranti admirandâ occultâque, hoc est, non intelligibili quâdam vi operari existimentur.

6. De aliis nonnullis qui à Bile non abundante sed à calculis in vesicâ Fellis hærentibus retentâ proficiscuntur morbis, cùm ad coagmentationem calculosam propriè magis spectent, illîc opportuniùs tractandum erit.

7. Icterum nigrum quod attinet, fit

is ex Bile flavâ præ nimiâ exuſtione in nigrum conversâ; Solenne enim eſt rebus amaris ut inſigniter torrefactæ è flavore in nigritiem procedant. Vidi ipſemet in *Indiâ Occidentali* ſuccum ex herbâ Aloë ſtillantem, flavedine tinctum, tam egregiè etiam amarum, ut ipſum quoque aërem eodem imbuerit Sapore; poſtmodùm verò, vehementi Solis ardore exuſtum, factum eſſe nigerrimum. Hoc idem in Opio quoque contingit, unde ſi Naturæ veſtigia relegamus, & loco Ignis ſeu Caloris à quo exhauſtæ ſunt partes humidæ, ejus contrarium, Aquam ſcilicet, iiſdem applicueris, utrumque horum priſtinam denuò recuperare flavedinem ipſis oculis perſpecturus es. E quo experimento innoteſcere poteſt Ictero nigro, aliiſque compluribus morbis medendi methodus. Verùm adeò dedita eſt natura Hominis ad difficillima quæque affectanda, ut difficultates fingere malimus quàm trito aliquo inſiſtere tramite; & in qualitatis alicujus occultæ tenebris cæcutire, quàm in quatuor illis primis iiſque notiſſimis caterarúmque omnium cauſis, eò quòd nimis obviæ ac conſpicuæ ſunt, curioſæ mentis noſtræ aciem attentè defigere.

8. Enumerantur alii quoque præter Ictérum morbi (intérque hos febres ferè omnes)

omnes) tanquam è Bile nati; verùm cùm hoc neque ſenſu compertum neque ullâ ratione evidenti collectum mihi videatur, mallem de his ſuperſedere penitùs, quàm rei, quam nuſquam eſſe perſuaſum mihi eſt, operam impendere.

CAPUT TERTIUM.

De Aqueâ ſeu Serosâ Lactis parte.

SECTIO PRIMA.

De Seri Naturâ Morbiſque ex ipſius abundantiâ natis.

1. HActenùs de Spirituosâ Lactis parte quæ Igneam atque Aëream potiſſimùm redolet indolem egimus; Sequitur ut de Serosâ, quæ ad Aqueam proximè accedit naturam, deinceps agamus.

2. Finxit veriùs quàm philoſophatus eſt *Thales* ille *Mileſius*, Aquam cunctarum rerum originem eſſe, eò quòd abſque eâ neque Generatio, Nutritio, aut Germinatio peragantur; è contrà verò à Siccitate cuncta marceſcant. Verùm, cùm hæc omnia ab Humectatione procedant,

quódque humectat, aliquid humectet neceſſe ſit; aliud ſtatuendum eſt Principium quod humectandi effectum in ſe recipiat, quod *Terram* appellamus: Porrò, dictos effectus abſque radiorum Solarium ſeu Ignis diverſimodè iſta miſcentis per corpus quoddam pertenue (Aërem dictum) immiſſione, peragi non poſſe apertiſſima teſtatur Experientia. Quatuor itaque Principia ſeu prima Corpora & non unum tantum, ſi ad Naturæ curſum ſedulò advertamus animum, omninò ſtatuenda ſunt.

3. His non obſtantibus permagna eſſe Aquæ privilegia, inſignéſque effectus diſſiteri non poſſumus. Duæ etenim potiſſimùm in Aquâ relucent qualitates, Humiditas nempe & Frigus; Ab illâ vim habet humectandi, emolliendi & diluendi; ab hoc frigefaciendi & denſandi ſeu conſtipandi; ab utroque ſimul putrefaciendi. A gradu quoque raritatis ipſi proprio virtutem acquirit aliqualem penetrandi, & ſic aliarum rerum particulas, vehiculi loco, unà ſecum in alia Corpora introducendi: Ab eodem quoque habet quòd in particulis valdè minutis Corporis ſicci partes interveniendo uniat, eò quòd non niſi ab Agente ſubtiliſſimo gluten adeò exile dividi queat; è quo etiam fonte provenit, ut ceſſile, ductile

&

& flexile ſit Corpus illud: hoc eſt non niſi gradatim diviſibile; contrà quàm, accidit Corpori ſicco, quod humore deſtituitur; eſt namque iſtud valdè friabile, atque ictu unico diſſilit: Impertit itaque aqua etiam hanc ob cauſam rebus ſe participantibus aliqualem partium cohærentiam ſeu unionem.

4. Hic idem Diſcurſus Aquæ etiam Communi accommodari poteſt, atque (ut propiùs ad rem noſtram accedamus) Sero etiam ipſi, quod in Microcoſmo humano Aquæ vicem ſuſtinet; nam reverâ Serum nihil aliud eſt quam Species quædam Aquæ communis, ſimilis ei quam in ſtagnis, pluviâ aut mari cernimus: Patet hoc ex urinâ quæ è Sero fit; ab hâc ſiquidem ſi flavam illam à Bile tincturam ac Salſedinem (Caloris effectum) ſecreveris, nihil profectò præter puram putámque aquam eſſe reliqui comperies. Tantumdem de Sudore & Lachrymis affirmare licebit. Patet etiam ex effectibus aquæ propriis, quos in Corpore exercet; quales ſunt Humectatio, Frigefactio, Dilutio; quibus adde Attenuabilitatem & in craſſiorem ſubſtantiam Conſpiſſationem; quæ duæ ut Naturam in medio utiuſque confinio poſitam, hoc eſt, Aqueam coarguunt, ita ſupra commemorati etiam effectus Serum eſſe verè & ſubſtantia-

ſubſtantialiter Aquam, & non niſi accidentales quaſdam ab aliis mixtis qualitates participare, ſeu veriùs iiſdem tantummodò imbui omninò confirmant. Quo ſtabilito, Officia uſúſque Seri facilè innoteſcere poterunt, vel potiùs jam ex ſe quaſi notæ ſunt. Neque difficile erit eorundem Principiorum ductu vitia quoque abuſúmque ejuſdem, morborúmque inde naſcentium ſanandorum methodum pernoſcere, modò ad dicta Principia attentum reflectamus oculum.

5. Tripliciter autem peccare poteſt Serum; Abundantiâ ſcilicet, Defectu, atque à ſtatu debito Alteratione.

6. Quantum ad Seri Abundantiam; ſi proportionis quam ad Butyroſam Caſeoſámque Lactis Vaccini (quanquam Humanum multò tenuius eſſe conſtat & ſeroſius) partes Serum obtinet, computum ineamus, juſtam Seri quantitatem ad eaſdem diluendas neceſſariam expiſcari licebit. Cæterùm longè amplius requiritur quò Sanguis, ex ſe fibris rigens, ac reliqui humores à Calore cæteroqui inſpiſſandi, mobilitate perpetuâ Vitæ curſum perennent, & tenuitatem retinentes debitam commodiùs diſtribuantur. Seri itaque ope & potulentorum, quæ ipſum Serum (ut ita dicam) ſeroſius reddunt, frigore temperantur Corporis membra, diluitúrque

diluitúrque Succus; è cujus admiſtione fit *Saliva* quæ maſticationi, locutioni, leniendæ ſiti, ciborúmque coctioni inſervit. Confert etiam idem ſemini fæcundando, partibúſque ſemen recipientibus aptè diſponendis. Quid quòd ab eodem quoque adminiculo proveniant Augmentatio, Bilis reprimatur exceſſus, Succi aduſtio (quæ Phlegma vulgò exiſtimatur) ad juſtam temperiem redigatur; quin & lachrymæ ſtatim à potu redire atque exundare ſolent; humidum denique radicale eodem maximâ ex parte conſtat.

7. Quòd ſi quantitatem hiſce uſibus neceſſariam exceſſerit Serum, quamplurima ſanitati incommoda affert; præcipuè ubi Conſtitutio valdè debilis eſt: Cùm enim in hujuſmodi impotens ſit Calor nativus ad humores ſeparandos, digerendos, atque in Salſedinem coquendos, fit ut Natura jam ſegnior, neque ad ſe iis exonerandam (quod à pungenti Seri qualitate fit) excitata, laſſitudine quâdam præ nervoſarum partium reſolutione opprimatur: hinc oriuntur Cachexia, Languor, Cordis palpitatio, timor triſtitiâ comitatus, ſomnolentia, melancholia, dyſpnœa, anaſarca cum ulceribus Telephiis inde natis: Qui quidem morbi, præ humiditate partium laxante tonum, inſanabiles utplurimùm evadunt, & non rarò in putredinem

putredinem gangrænámve desinunt, ut in Pecudum lue videre est. His affectibus addi potest is quem in Fœminâ quâdam Nobili nuper sanavimus. Erat ea macie pænè confecta, tussi aridâ malè vexata, deliquia non rarò passa est, abscesserat appetitus, sinistrum crus péspue frigore torpebant, reddebat urinam perpaucam, eámque subnigram & malè olentem neq; ab igne attenuabilem, multùm sudavit, Tumorem Splenis valdè durum ad instar pugni serosâ materiâ turgidum fovebat, aderant denique vomitus & alvi fluxus. Hæc, compluribus frustra tentatis remediis, cùm nulla sanitatis spes affulsit, longum profecta est iter Salutem suam curæ meæ commissura. Adhibui medicamenta modicè calefacientia tum internè tum externè; quorum ope nativus ipsius Calor, ut & appetitus ac digestio vigorem magnis passibus recuperârunt, quorum reparationem comitata est concoctior & defœcatior urinæ copia; &, prout indies crevit ista, decrevit tumor ille, bonúsque Corporis habitus ac perfecta sanitas rediêrunt.

8. Ab hujusmodi Splenis tumore, sæpe nascitur Hydrops; sæpe etiam ex nimiâ aquæ ingurgitatione oritur, & maxima secum incommoda affert. Hinc qui humidas regiones incolunt, cùm venas

nas prægrandes habeant, Lienis tumore affici ſolent; quod & *Friſiis* quibus Lac butyroſum pro potu eſt, ſæpenumerò accidit. Hinc etiam Sophiſtæ apud Antiquos, qui ficubus & aquâ victitabant, ut *Locri* indigenæ fœtabant peſſimè; humoribus, ſcilicet, præ nimiâ aquæ redundantiâ ad putredinem vergentibus. Athenæ, l. 2. Pauſan.

9. Porrò, Sudor ſanguineus & cuncta ferè præternaturalia Sanguinis profluvia ab aqueoſarum partium abundantiâ proveniunt: E crudo etiam Sero naſcitur Apoplexia ea quæ à Febre, Epilepſia quoque illa quæ à Diarrhœâ ſanatur: ab hâc ſiquidem evacuatur, ab illâ coquitur indigeſtum illud Serum. In Diarrhœâ etiam eâ quæ à coctionis defectu oritur, potio vini non aſtringentis (utpote frigidioris) utiliſſima reperta eſt; humorem ſiquidem per urinam digerit avertítque. Contrà Diarrhœa illa quæ à colliquatione ſeu Caloris exceſſu ſit, à medicamentis frigidis ſananda eſt, imò aliquando, cum in caſsùm ceciderunt remedia, ſub dîo decubitu. Hoc genus Diarrhœæ aliquando in Dyſenteriam deſinit; quando nimirum Serum acre ſalſúmque eſt: unde fit ut aperiantur venæ, rodantur inteſtina, abſtergatúrque quæ iiſdem adhæret mucoſa materia. Si in Parotide abundet Seroſus humor, fert opem aliquando

Diarrhœa

Diarrhœa vel Dyſenteria, ut quæ eundem evacuent; dignoſci autem inde poterit Parotis iſta quòd præ aquæ exceſſu ſuppuratio non fiat, tactui facilè cedat, neque ardeat, rubeſcat aut præ dolore pulſet.

10. Præterea, magna aquæ quantitas in æſtate epota Sanguinem nimis infrigidando hydropem Pulmonis non rarò efficit: poſt tempeſtatem etiam nimis pluvioſam veſiculæ quædam aquâ plenæ, luis origines, in Hepate & Pulmone Ovium repertæ ſunt. Quando verò ex humore iſto pertenui, hydropem & tuſſim cauſante, Syncope oritur, monet *Hippocrates* vino utendum & cibo copioſo, quò frigoris noxa, maximè calori naturali contraria, præcaveatur reprimatúrque humorum in ventriculum (cùm vacuus eſt) confluxus. Quibuſdam etiam ex humorum nimis fluidorum recurſu ob inteſtinorum debilitatem à frigore, timore vel jejunio accidit Diarrhœa; præcipuè in Autumno, ob pororum conſtrictionem tunc temporis incipientem. Eandem ob cauſam Paralyſes atque artuum dolores circa Novilunium aut Pleniluniun & tempeſtates humidiores, utplurimùm eveniunt aut recrudeſcunt. Eſt etiam iſtius humoris fluxus alvi criticus in Leucophlegmatiâ atque Abdominis tumore,

Epid. l. 2, Sect. 5.

humore, quando hydrops jam naſciturus primùm ſe prodere incipit. Ab eodem ipſo humore οἰδήματα pullulant atque ulcera mali moris quæ (utì etiam quodcunque ulcus) partim ſanantur medicamentis ſudorificis, diureticis & purgantibus quæ Serum evacuant, partim ab Emplaſtris ſtipticis quæ meatus obturant & affluxum intercipiunt, neque plus humoris illuc devehi permittunt quàm à nativo partis illius calore cum ſucco in pus concoqui vel abſumi ſeu evaporari poſſit.

SECTIO SECUNDA.

De Seri abundantis Evacuatione & quibus modis ea fieri poſſit.

1. SIngulos percenſere morbos à Seri redundantiâ natos eorúmque remedia, nimis longum eſſet; Quare, in Principia jam poſita ratiocinium noſtrum reflectentes ſic diſcurrimus: Cùm probatum jam ſit, Serum nihil aliud eſſe quàm Aquam quandam, Effectum quoq; tolli ſi Cauſam auferas ſit ex ſe notiſſimum; Sanandi ſunt certè morbi omnes è Seri nimietate profecti, humoris iſtius aquoſi

quosi ablatione. Id autem quatuor modis fit; Urinam scilicèt, Sudorem vel Transpirationem Insensibilem commovendo, vel etiam Purgando. In quibus verò casibus hâc vel illâ commodiùs utendum sit medendi methodo, à periti Medici judicio petendum est. Hoc unum, utpote necessarium monemus, In pallidâ atque imbecilli Corporis constitutione, quando nimirum, præ exundantis humiditatis excessu, nativus Calor mersus jam & pænè extinctus est, nequaquam medicamentis vehementer purgantibus, (nedum Aquis Mineralibus) utendum, sed iis tantùm quæ per Epicrasin operantur.

2. Maximè tamen rei medicæ conducibile fore persuasum mihi est, si quâ ratione modis jam dictis evacuetur Serum curiosiùs lustremus ipsi, & curiosis illustratum proponamus. Ut itaque vomitionem prætermittamus, utpote quæ non tam Sero eliminando quàm Bili & Pituitæ ejiciendis apta est, à *Transpiratione Insensibili*, tanquam factu facillimâ, exordium desumemus. Fit autem hæc à Calore nativo (aquosas præcipuè) partes in aëream quandam tenuitatem rarefaciente: unde, duplicem ob causam extrorsum feruntur; ob novum scilicet Raritatis, ampliorem (quà patet via) locum occupaturæ, gradum: atque ob naturalem

naturalem Caloris ſeu Ignis actionem. 3 cujus, utpote Corporis mobiliſſimi ac velociſſimi, indoles eſt quàm breviſſimam arripere viam, hoc eſt, à centro ad circumferentiam quaquaversùm ſe diffundere & minutiſſimas humoris adhæreſcentis partes ſecum unà vehere. An verò in formâ aquæ, an craſſioris cujuſdam aëris per poros exeat halitus iſte (cùm heterogeneæ ſunt tranſpirationis inſenſibilis partes) diſceptari poterit; Utut ſit, certè plurimum humoris aquei eidem admiſtum eſſe ex linteaminum humiditate gravitatéque (etiamſi nullus præceſſerit Sudor) atque ex ſpeculi propè applicati obtuſcatione manifeſtè conſtat.

3. Proxima huic ſuccedit evacuatio per *Urinam*. Cujus cauſa, loquendo in communi, hujuſmodi eſt. Delata in venas Diuretica, cùm ex unâ parte calida ſint indéque aperiendi Sanguinis partes virtùtem habeant, ex alterâ verò nutritioni inepta ac proinde ad ſui ejectionem naturam prorſùs tendant, hinc aliquam in Sanguine commotionem faciunt; cujus operâ quaſſantur, ſolvuntur & (ſi quà datur porta) ſeparantur partes Sanguinis aqueæ ſeu ſeroſæ à craſſioribus, quæ ante vexationem iſtam æquabili tenore mixtæ in vaſis fluebant.

4. Vehementior adhuc eſt *Sudoris* o-

peratio, ac proinde à causâ magis violentâ procedere eam neceſſe eſt. Fit autem hoc prorſus modo. Calor (ſeu quod perinde eſt Ignis) nativus è Centro ad Circumferentiam, hoc eſt, omnem partem verſus è Corpore effluvia ſua jaculatur, ſecúmque (ut dictum eſt) particulas Seri, attenuatione jam factas portabiles, ſimul abripit; integram quoque Seri maſſam abrepturus ſi ſat intenſionis in Calore, ſatiſque patuli meatus fugaciſſimæ furaciſſimæque Ignis naturæ obſecundarent. Verùm, cùm craſſioris ſit Sudor conſiſtentiæ & ſenſibiliter in Aquæ formâ è poris prorepat, idcircò non niſi magno molimine per canaliculos adeò anguſtos tranſcolari poterit. Agente itaque fortiori ſeu Calore intenſiore, atque aliquali etiam pororum apertione opus eſt quò propellatur foràs: Calor etenim, ſi inſignis ſit & pori aperti, moræ impatiens eſt, neque expectare ſuſtinet donec circumeunte Sanguine guttatim in Ureteres effluat Serum, ſed, pro ſummis viribus agens, quamprimùm & quà citiùs & propiùs poſſit, hoc eſt, ubivis per proximos illud protrudit poros. Unde hi, ſi minùs aſtricti fuerint coopertione Stragularum aliiſve calefaciendi modis, quò ſudori patefiat iter, aperiendi ſunt: Cæterùm, è ſanguinis maſsâ priùs ſegregandum eſt Serum quàm

quàm auferri poſſit: quem quidem effectum præſtant Diaphoretica, eodem planè modo quo (ut jam dictum eſt) Diuretica operantur; aperiendo ſcilicet & conquaſſando Sanguinem, aliquanto tamen quàm altera illa vehementiùs (quod etiam major undoſi pulsûs motio indicat) ob eorum tum majorem quantitatem tum calidiorem quoque temperiem; unde uberior elicitur Seri copia; quod, ex eo quoque capite, non unâ viâ evacuandum eſt.

5. Ultimo loco ſequitur *Purgatio*, quæ eodem propemodùm modo peragitur, niſi quod purgantia majoris ſunt efficaciæ vel ex ſe, vel ſaltem ob majorem adhuc doſis quantitatem. Quare, vehementiùs vel potiùs generaliùs ſeu in omni parte maſſam Sanguineam aperiunt & commovent; unde, cùm majorem Seri extundunt copiam quàm per urinam excerni commodè poſſit, in inteſtina decurrit. Genuinum eſſe quam modò aſſignavimus effectûs hujus rationem inde patet, quòd quæcunque purgant eadem, in minori quantitate ſumpta, Urinam aut Sudorem provocent, atque ex eo quòd qui largè bibunt, cùm Serum valdè augeant, quod minutatim neque per Urinam neque per Sudorem exonerant, in alvi fluorem incidere ſolent; eodem prorſus modo quo Sero ex cachexia abundantibus & urinam

debitam non reddentibus, humore alium jam quærente canalem, tumeant pedes. Quare, generatim loquendo, nullum aliud in modo quo fit Purgatio (& idem de reliquis evacuationibus dictis ſuo gradu dicendum eſt) latet myſterium quàm quòd Sanguis qui ex ſe & motu ſuo nativo partes ſui humidiores aliquatenùs excutere ſolet, idem commotior factus uberiorem earundem elidat copiam; & quòd eædem, utì Aquæ mos eſt in vacuos quoſque ſinus defluere obvios, in vaſa excretoria, poſtquam liberè jam fluunt, ferantur & ſic è Corpore deriventur. Quamvis non negem reperiri in medicamentis catharticis pungendi excitandíq; vim, à quâ facilior meatuum apertio fiat.

6, Poſſe autem ex commotione dictâ diſgregari Sanguinem, indéque Seroſas excuti partes, attentè perpendenti manifeſtum erit. Utut enim res minutæ quæ jam diſtinctæ ſeu multæ ſunt, ſi unà conquaſſentur, unionem quandam ſeu potiùs confuſionem inde homogeneam quaſi conſequantur, tamen, ſi mixta quævis fluida partes in ſe valdè heterogeneas claudentia huc illuc diverberes aut validè commoveas (accedente præſertim Calore intimam rei illius mixturam aperiente) in diverſas diſſilire ea naturas conſtans tibi ſcrutanti dabit experientia.

Sic

Sic florem Lactis ex multâ agitatione in Butyrum & Serum quoddam pingue ſubacidúmque ſolvitur; ſic ex nimis feſtinâ deambulatione primò mictio fit frequentior, mox ſudor, pro Caloris incremento, exprimitur; ſic denique (quod propiùs nos tangit) Lac ſeu Chylus (immediata humorum omnium materia) ſi, uſquedum incaleſcat, huc illuc vehementer dimoveatur, Serum quaſſatione illâ divulſum præbebit.

7. Ex eâdem profluit causâ quòd aliqui metu ſubito perculſi fluxu alvi ſtatim corripiantur; cùm enim, ut notavit *Ariſtoteles*, Animantia ea timidiora ſint quibus Sanguis nimiùm dilutus eſt, hoc eſt, qui Sero abundant, à timore autem oborto (quod idem de intenſo etiam frigore dicendum) humores introrſum recurrant repercutiantúrque, unde vehementiſſimus Sanguinis motus (ut ab ingenti crebrâque Cordis palpitatione experimur) concitatur; magnam profectò Seri vim, fluoris illius materiam, è Sanguine exprimi, & ſic in alvum (ut i tormen inde ſecutum ſæpiùs teſtatur) provehi, indeque à comprimente Abdominis muſculorum vi, Inteſtinorúmque motu diſplodi neceſſe eſt. Unde evenit quòd Bonaſus excrementa fœtida, Vulpes autem noſtras urinam Caudâ exceptam in odoras

De part. Animal. l. 2. c. 4.

imminentium jam canum nares oculósq; ſpargendo tum ſe ab hoſtibus tutentur, tum de iiſdem ſeſe ulciſcantur. Tametſi, quando fluor non adeſt, à ſolâ compreſſione partium, vel Inteſtinorum à flatibus eò adactis diſtentione proficiſci ſubitam alvi urinæque ejectionem nequaquam dubitem.

8. At quid interim dicendum de Electivâ illâ (ut ita dicam) complurium Medicamentornm purgatione, quæ tantopere vexat Medicos; his effectum iſtum in occultam neſcio quam refundentibus qualitatem, illis in manifeſtam, haud manifeſtè tamen, virtutem eundem referentibus. Veruntamen (quod pace tantorum Virorum dictum velim) nodum profectè in ſcirpo mihi quærere videntur, qui tanto ardore hæc diſceptant. Nam conſideremus, ſodes, quinam ſint humores illi qui expurgationis capaces ſunt. Et primò conſtat ſeponendum eſſe humorem purè ſanguineum; nemo enim ſanæ mentis hœmorrhagiam vel dyſenteriam de induſtriâ efficiet: Seponendus etiam ſuccus Caſeoſus ſeu nutritius, ut qui ſpiſſior eſt quàm ut directè & deditâ operâ purgationem ſubire poſſit, licèt aliquantulum etiam iſtius, ob viciniam quam cum humore purgando habet, cum eodem (ut ubique Naturæ fit) pariter avehi neceſſe

ſit;

ſit; Quid quod eâ ſit indole ſuccus, ut à Calore qui inter purgandum nunquam non excitatur, adeò non attenuetur & fuſile fiat, ut magis inde inſpiſſetur & purgatu difficilior evadat. Pituita ſeu Phlegma, ut ex ſenſu ipſóque pœnè vocabulo conſtat, eſt Succus nutritius Calore aduſtus, ac proinde valdè Spiſſus atque à Caloris actione ulteriùs inſpiſſabilis, nec tam frequenter in vaſis fluit quam in ventriculo inteſtiniſque hæret; unde vel vomendo exturbandus eſt, vel à Medicamentis quæ aſperas habent partes abſtergendus. Quæ verò per vomitum hauritur è venis pituita (vel deorſum aliquando dejicitur, quod nonnunquam accidit) ex violento inter vomendum humorum ad ventriculum feſtinantium impetu ac proxima ſibi quæque unà trahere conantium; atq; ex continuitate viſcidæ pituitæ quæ in ventriculo eſt cum reliquâ quæ in venis detinetur, oriri probabile eſt.

9. Reſtat itaque ut nihil in vaſis purgabile manifeſtò reperiatur præter humorem Seroſum (de cujus purgandi evidentiſſimâ ratione jam dictum eſt) atque Bilioſum ſeu fæcem illam quæ (facto jam inde Spiritu) ex ignobiliore Butyri parte relinquitur. Hæc duplicem habet Statum: vel enim ad perfectam jam Bilis

formam cocta est, & cùm cæteroquin excerni deberet, ob meatuum obstructionem in venas redundat; vel fæx illa proximè in bilem vertenda in venis diu detinetur vagatúrque, pravam interim dispositionem efficiens. In utroque autem casu à Calidis, præcipuè autem ab Amaris, quæ Bili creandæ aptissima sunt, expurganda est; hæc etenim tum aperiendi meatus vim habent, tum ipsam Bilem efficiendi, vel saltem, ut ita dicam, biliosiorem seu Naturæ magis ingratam reddendi, unde, ipsa vehementiùs ad ejusdem expulsionem commovetur.

10. Verbo dicam, ad excutiendum grave illud imò intolerandum occultarum qualitatum jugum, quod rationem humanam ad ulteriorem Scientiæ & Medicinæ profectum anhelantem indignâ deprimit servitute, nulla compendiosior est via quàm si attentè perpendamus mixta quæcunque, nisi ea adeò sint fluida ut pænè sint aquea, ab ipso sui ortu Compagem quandam seu Consistentiam habere peculiarem à Causis sibi propriis contemperatam, à quâ dimoveri non perinde facile est; quare, si quid naturis ipsorum valdè dissonum approximatum fuerit, illud, eò quod in idem mixtum coalescere nequeat, liberè huc illuc prope partes illius fluere oportere, & Localem tantùm unionem,

unionem, hoc eſt, Extrinſecam ſeu Quantitativam (quo modo quæcunque in rerum univerſitate *una* ſunt) cum eodem participare, non autem Intrinſecam ſeu Subſtantialem; unde ex ſe in procinctu eſt, ut, abſque ipſarum damno, continuitatem cum eis perdat atque aliorsùm ſi viam invenerit atque à cauſis communibus directum fuerit, abſcedat. Imò laborare & quodammodò parturire Naturam videmus donec eis, ſi valdè ſint diſſimilia atque ex longâ morâ adhæſionem quandam nactæ ſint, ſe penitùs liberaverit. Adhibitis itaque Medicamentis quæ Calore partim, partim autem præ indole nutritioni ineptâ ac Naturæ ingratâ commotionem iſtam adaugeant, ſtatim datis portis excretoriis (ut reverâ in corpore humano dantur) iiſque ab eodem Calore vel aliâ aliquâ pungendi qualitate, ſi quando obturantur, apertis, confecta eſt omninò purgandi opera, abſque ſollicitâ aliquâ occultarum qualitatum (hoc eſt, re verâ tenebrarum) opis imploratione.

11. Petes, unde naſcitur, vel à quâ causâ proficiſcitur iſta naturæ Commotio ex rerum diſſimilium vicinia? imò nihil futilius, inquies, quam commotionem aſſignare cauſam, quænam verò commotionis iſtius cauſa ſit inexplicatum intactúmque

ctumque relinquere : nulla ſiquidem à nobis producitur ratio præter metaphoricam quandam *inſenſæ* quaſi *naturæ* locutionem ; perinde ac ſi in rebus inanimatis voluntas quædam ineſſet : quo genere diſcurrendi nihil profectò Medico-Philoſopho indignius excogitari poteſt. Reſpondeo, agnoſcere me libenter (imò dolenter conqueri) injuriam Scientiæ, (Medicinæ præſertim) illatam eſſe maximam, dum Authores quidam malè attenti, affectus Spiritales, quales ſunt *deſiderium*, *appetitus*, *electio*, *averſatio*, &c. ad res Inanimes transferunt, neque tamen iſtiuſmodi vocabula pro tranſlatit iis ſumunt, ſed reverâ tanquam propriis, præ confusâ quâdam negligentiâ (licèt id clarè & diſtinctè non exiſtiment) abutantur. Medium itaque tenendum eſt iter, ut neque faſtidiosè Metaphoras elucidandi causâ rejiciendas, neque tamen inconſultò, tanquam rei ipſius naturæ propriè atque ad amuſſim reſpondentes, admittendas cenſeamus. Quare, objectionem quod attinet, ajo, ejus Solutionem, cum particularis cujuſdam motûs rationem quærat, partim à notione *motûs*, ſeu actionis paſſioniſve *in communi*, partim ab *hujuſce* actionis peculiaritate (qualem eſſe veram Scientiæ conſequendæ methodum docemur à Logicâ) eſſe petendam.

Ab

Ab *illâ* erudimur, nullam Actionem corpoream abſque Reactione peragi; circa *hanc* autem advertendum, res fluidas, quò magis ſimiles ſunt faciliùs coaleſcere, ut in binis aquæ guttulis cernimus; quò magis diſſimiles verò, difficiliùs; ut in pingui & aquâ videre eſt: Porrò, quæ difficiliùs coaleſcunt, eadem vehementiùs reagere ex ipſis pænè terminis conſtat. Adſit itaque Calor agendi reagendíque continuans curſum, extra dubium eſt, mixtum præfervidum, qualis eſt Sanguis, et perenni motu citatum vehementiùs commotum iri, ſi res indolis oppoſitæ commixtúque difficiles intra partes ipſius intromittantur. Præterea, experientiâ conſtat mixta fluida, quibus ab ipſo ſui ortu aliqualis partium conſiſtentia & quaſi fabrica eſt, tenore fluere magis æquabili conſtantíque, ſi non interrumpatur ſolvatúrque complicatio ipſorum; quòd ſi ab aliis rebus intimè adjunctis nec tamen commiſturæ capacibus (qualia ſunt Sanguini purgantia omnia) ſolvatur aliquatenùs naturalis ille partium tenor, laxior ſtatim ſuccedit mixti compages, unde motu celeriore atque inæqualiore agitari illud (hoc eſt, *Sanguinem*) neceſſe erit. Sufficiant hæc breviter perſtrinxiſſe de causâ concitatioris humorum motûs à purgantibus orti, undè ſupervacanei

nei noxiive humoris expulsio sequi solet. Uberior de eâ tractatio non est hujus loci cùm ad superiorem Scientiam spectet. Cujus tamen limites nos aliquando invadere coacti sumus; specimina exhibituri nequaquam desperandum esse, ut Medicus Philosophus, scientificè & demonstrativè procedat, modò recta observetur discurrendi methodus.

SECTIO TERTIA.

De ratione medendi Seri defectui, morbisque inde genitis.

1. CUm verò nihil copiosiùs Serum evacuet quàm Purgatio, incumbit nobis potissimùm de periculis ex indebitâ seu intempestivâ Purgatione oriundis incautos præmonere. Impropriè itaq; usurpatur in debilitate, morbísque iis in quibus sola attemperatio aut refectio necessaria est. Quando ab immodico labore absumitur Serum, vel ex immodico venere dissipantur Spiritus, & ab utrisque dolor Capitis sequitur, purgatio valdè noxia est; ut in febribus etiam ubi sanguis tantummodo succúsve peccat, in quibus efficit quandoque Convulsionem (qualis ex hyper-

hypercatharſi in diebus canicularibus obvenire ſolet) phrenitidem, apoplexiam, animi deliquium, febrem auctiorem, malorum denique extremum, Mortem. Interdicitur ſiticuloſis, & pulmonum, lienis, laterum dorſi, hepatiſve inflammatione laborantibus, atque in Ictero inde nato; tuſſi denique aridâ vexatis. Nocet exanguibus, in lienis Scirrho, & quibus nimium jam ſanguinis profluxit; iis etiam quibus urina ob ſphincteris veſicæ reſolutionem, involuntariè elabitur, in alvi item fluxu ob inteſtinorum debilitatem. Interdicenda quoque eſt flatuoſis, ut qui corporis conſtitutione jam per ſe nimis ſicca ſunt; unde hypochondriaci ſe poſt purgationem vehementem pejùs affectos experiuntur: eadem de immodico & intempeſtivo ſudore intelligenda ſunt.

2. Porrò, ſi ante urinæ concoctionem purgetur, ſuperveniunt non rarò vertigo, tormina, faſtidium, pulſus languidus intermittenſq;, virium ſolutio, urina cruda diu manens, Febris denique ſine ſudore & judicatione diu perſeverabit. Nec prætermittendum, ſi parcior adminiſtretur purgantium doſis cùm juſta adhiberi oportebat, motis inde non tamen emotis ejectíſque humoribus, plurima inſequi mala; qualia Adoleſcenti illi ex *Eubœâ* conti- Epid. l. 5.
giſſe narrat *Hippocrates*, qui quartâ poſt purgationem

Purgationem die mortuus est; cui nihil expurgatum fuit, sed siti inextinguibili, ac demùm somno nullâ vigiliâ terminando correptus est.

3. Deniq; cùm plurimùm salutis intersit rectève an secùs porrigatur Purgatio, ex signis subsequentibus comperiri possit. Et quantum ad morbos internos, Tunc enimverò purgationem satis operatam judicandum est, quando inde adsit euphoria aut sitis excitetur; quantum ad Externos, cum pars aliqua, ante purgandum frigida, postmodùm fit calida: hinc enim certissimum desumi poterit indicium humorem serosum efficaciter amotum esse; eodem planè modo quo siccam aliquam calidámque partem si quando frigescat, satis humectatam jam esse certò deprehendimus.

SECTIO QUARTA.

De Seri depravati qualitatibus; & quibus modis sanandæ sint.

1. AB incommodis quæ à Seri excessu defectúve oriuntur ad ejusdem tandem qualitates, Caliditatem scilicet, Aciditatem & Salsedinem, iisque medendi seu

ſeu ad debitam temperiem reducendi methodum, recto curſu delapſi ſumus. Fit autem Serum nimis calidum à cibis & potibus calidis, item à potuum defectu, animi perturbationibus, ab intemperanti denique diureticorum uſu. Manifeſtat ſe effectus iſte ardoris ſitiſque indiciis, qui in diabeten aliquando deſinit; renibus ſcilicet eò debilitatis adductis ut potulenta, abſque ullâ alteratione vel immutatione corpus perlabi ſinant. Neque tacendum eſt Cantharidum effectus, quæ Serum primò calefaciunt, poſtmodùm rodendo partes, urinam ſanguineam excerni faciunt.

2. *Aciditatem* quod attinet: fit ea qualitas (ut dictum eſt) ex defectu Caloris, Spiritûs ſeu ignis; qui ſi adeſſet valdè minutularum terræ molicellarum extantiores & acutiores partes actione ſuâ diffringeret atque in blanditiem quandam lævigaret. Quare, in morbis iis quæ Aciditatis ſeroſæ ſoboles ſunt (quos quidem, utpote notiſſimos enumerare faſtidioſum eſſet) ea applicanda ſunt remedia quæ ſiccæ & calidæ ſunt temperiei, ac Spiritibus denuò generandis abigendæque putrefactioni idonea. Qualia ſunt Aromata omnia atque oleoſa, Salſa vel Sale fœta, ut Corallia, Margaritæ, oculi Cancrorum & Chalybis limatura. Monendum eſt, quòd

cùm

cùm Purgatio etiam Spiritus unà cum Sero evacuare ſolent, eâ proinde non niſi cautè utendum cùm ad humoris redundantiam non autem ad ipſam aciditatem directè & per ſe reſpectum habeat.

3. Reſtat Seri *Salſedo*; Fit autem qualitas iſta in genere ex vehementi vel diuturnâ Caloris in aquam operatione, ut in mari videre eſt; unde quatuor ad ſummum emergunt effectus qui ad Salſedinem creandam junctis viribus conducunt. Primò etenim, apertis aquæ poris, evaporantur prorſus partes aëreæ, quæ ſummum lævorem ac blanditiem, Salſedini inimicam, aquæ conciliabant. Deinde, ſimul exhalantur magnâ ex parte vel in aërem rarefiunt tenuiores ipſius Aquæ particulæ, hoc eſt, eæ quæ proximè ad naturam purè aqueam accedunt, ac proinde inſipidæ ſunt, atque Salſedini (qualitati ſiqua alia ſapidiſſimæ) introducendæ maximè obſtant. Hinc demum, aqua ibi relicta craſſior evadit, imò ſollicitantur excitantúrque caloris vi quæ intra Sphæram activitatis ipſius ſunt particulæ terreſtres, eæ ſaltem quæ ab Agente adeò imbelli, qualis eſt particula Ignea, mobiles ac portabiles ſunt, hoc eſt, non niſi valdè minutulæ. Denique, cùm iſta Caloris actio ponatur eſſe vel violenta, vel ſaltem diutiùs continuata, ingentem proinde

inde Ignis vim in mixtum illud immitti concludendum eſt. Hærebit autem maximè Ignis iſte in particulis illis quæ craſſiuſculæ ſunt, hoc eſt, in terreſtribus, vel potiùs in corpuſculis iis ex aquâ terràque commixtis quæ in mixto illo aqueo ubique pænè fluitant, illúdque impræg-nant, quæque, exhauſtis partibus purè aquoſis, in conſiſtentiam illam concreſcunt quam in Sale noſtro cernimus. Conſtant itaque particulæ purè ſalſæ plurimo Igne atque Aquâ, modicâ verò Terræ quantitate, eâ nimirum quæ elementis adeò inimicis conciliandis ac concordi pace ligandis neceſſarium eſt.

4. Hinc in Aquam vel ſubſtantiam quamlibet liquidam immiſſus Sal ſtatim in minima corpuſcula denuò ſolvitur, & in omnem pænè ipſius partem (qualiter in mixto illo è quo primitùs relictus fuerat) diſpergitur: Eliquatur etiam ab inſigni aëris humiditate, tonum ſcilicet quem deſiccatio ipſi dederat relaxante, imò à parvâ quantitate rei cujuſvis valdè humidæ, modò ea ſubtiliter pungendi etiam vim habeat; unde Raphanus in magnam Salis molem inſertus, eam totam, quantaquanta demùm fuerit, liqueſcere facit: humiditate enim ſuâ relaxat, ſubtilitate autem ſubingreditur pervaditque Salis compoſitionem, partéſque ipſius

proximas in aquam penitùs diſſluere facit; hæ, jam in aquam verſæ, vicinas uſque humectant, donec in partes etiam remotiſſimas, influxu licèt mediato, idem propagetur effectus.

5. Ex dictis colligitur unde proveniat Senſatio illa pænè acerrima, quam Sal à Linguæ humore in primigenias reſolutus particulas efficit: quam quidem perceptionem ſi reflexâ mentis acie attentè perpendamus, comperiemus illam ab eâ quam Piper, Gingiber aliáque hujuſmodi excitare ſolent in eo diſcrepare quod hæc (utpote denſis terræ moleculis plurimo Igne vibratis conſtans) agiliorem acutiorémque, illa ſegniorem habeat indolem; terreſtribus nimirum igneíſque particulis (quas plurimas continet) multâ aquâ refractis retuſíſque.

6. Verùm monet nos diſcurſus jam prolixior ut ad propoſitum noſtrum dicta applicemus. Agit itaque Calor nativus, qui in microcoſmo Humano Solis locum ſupplet, in aquam Seroſam, partéſque ipſius magis aëreas vel in aëream pænè raritatem facile attenuabiles per tranſpirationem inſenſibilem evaporat, craſſiores verò ſeu terreſtriores incraſſat magis & cum aquâ (cui innatat) ſeque ipſo continuâ actione atque agitatione contemperat. Quæ quidem, cùm in majori

jori mundo propriæ ſint & per ſe Salſedinis cauſæ, impræ̃gnari quoque Serum, non minùs quàm Oceanum ſalſis undique particulis omninò neceſſe eſt.

7. Non ſolùm autem in Salis iſtius compoſitionem abit Succi Caſeoſi vel Terreſtris pars, ut modò dictum eſt, verùm etiam quicquid ipſius relinquitur à Salſedine jam confectâ arroditur ac corrumpitur; unde provenit ut parùm Spirituum atque nutrimenti Corpus roboret reficiátque. Hinc appetitûs dejectio, languor, triſtitia, melancholia, imbecillitas, atrophia, lumbago, lipothymia, Cordíſque palpitatio inſequuntur. Eadem Salſedo, cùm, ſi magna fuerit, Sanguinem vehementer accendat, pinguiores atque aqueoſas ipſius partes in Fumos, Flatúſque attenuat; unde provenire ſolent Colicus, tormina, inflatio Ventriculi etiam Pulmones Córque ipſum non leviter afficiens; partium omnium, Crurum præſertim, dolores varii, incerti, atq; inconſtantes; vertigo, pleuritis notha, dolores nephritici, cæcitas ſubitanea, ructus, metúſque ſtrangulationis & ſuffocationis. Porrò, cùm ex eâdem causâ neceſſe ſit, ut ſuccus, utpote diſtribui nutriréque ineptus, diutiùs in venis maneat, ideòque incraſſeſcat, hinc ſputatio con-

tinua ac Salivatio, convulsio, epilepsia, atque apoplexia tandem enascuntur. Ut taceam interim de obstructionibus, genuinis utique incrassati succi effectibus; quæ quidem, si Hepatis meatus intercluserint, fit Icterus, redditúrque urina crassa ac turbida cum sedimento rubro, pulverem referente lateritium: quod, cùm ulteriùs excoctus fuerit succus, in arenulas ejusdem coloris compingitur. Præterea, ex hujusmodi obstructionibus ac confusione veriùs quàm mixturâ, urina etiam diu retenta intensè rubet, & cum partes confusæ istius massæ crassiores huc vel illuc rejectæ ibidem hærent (ex doloribus se produnt) vel obstruendo renes sibimet exeundi intercipiunt viam, fit inde ut clara admodùm excernatur urina; relictus verò succus Calore præternaturali jam imprægnatus in varia incidens membra, ulcera vel Erypselas generat; at si quando in ignobilioribus non hospitetur partibus, accenduntur inde febres, quò complicatiores eo pejores futuræ.

8. Porrò, quando præ obturatis vel debilitatis renibus evacuari non poterit Serum, frequentiùs obveniunt sudores insignes cum odore gravi, interdum verò alvi profluvium, paralysis, horrores, rigores, febres intermittentes, lassitudo, dentium

dentium vacillatio dolórque, cephalalgia, tumores, maculæ cujuſcunque generis, reſpiratio brevis & difficilis, tuſſis ſicca, ac demùm ubi terreſtres præcipuè verò aqueæ partes Calorem ſuperaverint nativum, hydrops, gangræna, ipſáque mors Corporis arcem Spiritibus qui hujuſmodi obſtiterent hoſtibus deſtitutam obſident, oppugnant, excindunt.

9. Notandum autem potiſſimùm eſt, quæ priùs commemorata ſunt è Seri ſalſedine oriunda ſymptomata ea omnia *Scorbuto*, quod Protei cujuſdam inſtar varias cunctorum morborum figuras induit, competere; Nam, licèt nonnulli inter ſymptomata morbóſque ipſos diſtinguere ſive ignorantes ſive nolentes, hunc cunctorum pænè morborum genus ſeu materiam conſtituere ſatagant, reverâ tamen, ſi cauſas ejuſdem attentiùs evolvamus, eum è ſolâ atque unicâ Seri provenire Salſedine, quantacunque in effectibus ipſis obſervetur diſcrepantia, comperiemus. Nautæ ſiquidem qui in navigationibus longinquis non niſi ſalſis veſcuntur cibis, parùm verò admodum aquæ (imò corruptæ ſapè vel fœtidæ) potant, morbo hoc præ cæteris corripiuntur. Idem accidit his qui plurimum vini ac potulentorum ingurgitant calidorum & cibos comedunt ſalſos, neque tamen interim

exercitio dediti ſunt, quòd ad Salem per urinam excernendum efficax eſt : Hinc etenim fit ut humores ſalſi, quos præ intenſo Calore generant hi, modò in hanc modò in illam Corporis partem ferantur ibique ſedem figentes, varia pro ratione ſubjectorum in quæ operantur, ſymptomata creant. Iſtam verò quam jam aſſignavimus eſſe propriam morbi hujuſce cauſam ulteriùs ſuademur, quia ad eum extirpandum magis profit herbarum ſuccus, quàm earum ſicca ſubſtantia, & quòd nautæ, quos diximus, ex ciborum inſulſorum eſu, copioſæ aquæ recentis potatione, ſuccò denique herbarum, etiam Orobi ſylveſtris ſecus *Novæ Angliæ* littora naſcentis ſumptione, ad priſtinam haud difficulter redeant ſanitatem.

10. Serum itaque, exhalatis à continuâ caloris nativi operatione tenuioribus aquæ partibus, ſubſtitutiſque in earum locum plurimo ſigne cum reliquiis vel ramentis terreſtribus, craſſiuſculum fit & coctum eſſe dicitur, unde oritur naturalis urinæ conſiſtentia : ſub quo ſtatu acceptum vel deorſum purgatu vel per mictionem excretu idoneum eſt ; imò hinc in quibuſlibet pænè morbis ſufficiens deſumi poterit indicatio adhibendam eſſe purgationem : E contrà verò, ſi hoc tentetur quando adeò debilis eſt calor nativus

nativus ut Serum eò salsedinis ac crassitiei provehere seu concoquere impotens sit, purgationi (absumptus utique ab eodem) omninò succumbet prosterneturque.

11. Evacuatur autem una cum Sero sic concocto ea Bilis quantitas quæ ad ipsum Colore electrino tingendum, Succi autem Caseosi quantum ad hypostasin componendam satis sit. Ab horum trium vel cujusvis eorum quoad consistentiam, quantitatem aut qualitatem excessu defectúve quamplurima ad morbos dignoscendos desumuntur indicia.

12. At nec ullus circa sudandi methodum insuperabilis Lectorem torquebit nodus, modò ad ea quæ dicta sunt sedulò advertat animum. Unum autem summoperè notandum, Insudationem variolis mederi, non quòd Succus, qui propria morbi hujus materia est, sudando exturbari possit, vel quicquam emolumenti inde accipiat, imò (si hunc solum spectes) pejus se habebit & crassior fiet; sed solius gratiâ Seri præscribendam eam esse; quod quidem à Regionis quam incolimus ac proinde à ciborum quos comedimus humiditate, tum in aliis quamplurimis affectibus, tum in hoc præcipuè abundare cognoscitur. Quapropter, cùm ob siccas & calidas tempestates, quas

annis nuper elapsis experti sumus, minor fuerit Seri quantitas ac proinde Succi crassities major, immutanda certè vel potiùs accommodanda fuit sanandi methodus, & medicamenta frigida ac phlebotomia nonnunquam adhibenda. Quod cùm à mulierculis clinicis, vetulis, aliisque medicinæ operam incautè navantibus nequaquam in mentem venerit, pristinis utique medicamentis calidis, Croco scilicet, diascordio, Mithridatio, Theriacâ ejúsque aquâ stillatitiâ etiamnum usi sunt; è quo errore non satis animadverso factum est ut magis lethifer quàm olim consueverat morbus iste exiterit. Eadem tamen medicamenta quæ nuper exitium, tunc denuò opem ferent, cum tempestas humidior contigerit; vice autem versâ, phlebotomia, & medicamenta infrigidantia, quæ nuper opem tulerunt, tunc sanè demùm non minùs exitium latura sunt: nam, si redundaverit Serum, ad maturitatem non coquentur Variolæ; subsidebunt itaque & caput suum venenosum intra carnem secondent, unde alvi fluxus & ipsa sæpè mors, nisi molestissimâ salivatione (quæ criticè interdum aderit) expuantur, vel in Corporis habitu manens in ulcera mali moris vel etiam gangrænam, degeneri laborantis Naturæ operâ, prolabetur.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

De Succo Caſeoſa ſeu parte Lactis Terreſtri.

SECTIO PRIMA.

De Succi Caſeoſi Naturâ uſúque.

1. CUm Ignis atque Aër nimis ſubtiles, Aqua verò nimiùm ſit Fluida, ut in ſolidum aliquod Corpus compingi poſſint, oportebat quartum inſuper addi Elementum; quod, utpote denſioris indolis, reliquorum tum actiones ſuſcipere ac retinere, tum ipſamet etiam, cæteroquin auſugere atque elabi apta, intra ſui partes (quo mixta coaleſcere ac permanere poſſent) tanquam intra denſos carceris parietes contineat concludátque. Elementum iſtud *Terra* nuncupatur. Hæc, ob maximam quam tum Situ tum Naturâ habet ab Igne ſejunctionem, frigida eſt; ob fluoris & ceſſilitatis carentiam, ſicca; cum Aquâ tamen ſubtiliore Ignis actione probè commixta in viſcidam quandam cogitur ſubſtantiam; extractis tamen à virtute Ignis partibus aëreis, pænè magnâ quoque ex parte aqueis, in lapidem denſatur,

ſatur, qui pellucidus vel opacus, friabilis vel infractilis eſt, prò ratione craſſitiei vel tenuitatis materiæ, & magis minúſve concinnæ particularum contemperationis. Ab iiſdem ferè cauſis, peculiari modo ordinatis, cunctorum naſcitur metallorum varietas. Quòd ſi partes aquoſæ eo redundent gradu, terreſtriúmque exuperent quantitatem ut illæ ab his, innatantibus quaſi, imprægnentur, varios efficiunt ſuccos, quos ſurſùm trahit, evehítque Solaris Calor, ad Sylvas amœniſſimâ arborum fruticúmque ſcenâ exornandas. Hos in naſcendi methodo imitantur etiam Magnæ Martis oſſa, Lapides; Augentur ſiquidem utrique corticatim; ut in friabilioris texturæ lapidibus Bezoardicis, atque in eo qui in veſicâ repertus eſt cernere licet. Neque id ſanè mirum; nam, poſtquam evaporatur exiccatúrve aquo ſum illud primævarum terræ particularum vehiculum, fit ut materia proximè ſuperveniens, cùm intimiùs præcedaneam penetrare nequeat, eidem circumfundatur & leni veluti faſciâ ſeu cortice eam involvat. Qui quidem lentus minutúſque naturæ progreſſus in Saxorum duritie vix perceptibilis eſt; eodem prorſus modo quo in lignis compactioribus Circuli (annui utique incrementi indices) minores ſunt quàm in iis quæ citiùs augentur

&

& flexibilioris ſunt indolis atque promotu facilioris. Suus utrique ſuccus eſt, è quo, præ humoris exhalatione denſato, fit poſtmodùm ſolida vegetabilis illius ſubſtantia: Suæ etiam utrique ſunt tunicæ: In ſilicibus ea quæ externa eſt albicat, nec æquè denſa eſt atque Interna; extrorſum ſiquidem faciliùs partes rariores educuntur, denſiores manent immotæ. Succo dilutiori gaudent herbæ, tanquam naturæ ſuæ magis idoneo; nonnunquam tamen in iis repertæ ſunt quædam mineralium particulæ; unde ex horum eſu in Hominum Pecudúmque Corporibus metallorum quorundam inventa ſunt fragmina. Eæ autem radices herbæque quæ nutriendis Animantibus aptæ ſunt, ipſæmet à pinguiori quâdam terrâ cui plurimum admiſcetur aquæ nutriuntur; quæ ubi à Calore abſumpta fuerit, terreſtri jam exuperante Naturâ, ſiccæ ac lignoſæ fiunt.

2. Hæc in Mundo majori è Terrâ variè mixtâ proveniunt effecta, quæ tandem his Analoga in Microcoſmo reperiantur proxime diſpiciendum eſt.

3. Veſcitur Homo Plantis atque Animalibus, è quibus digeſtionis operâ ſuccum ſibi congenerem ſeu Lac quoddam educit, ut in Capite primo oſtenſum fuit. Lactis autem iſtius Pars Caſeoſa *Terreſtris* eſt;

eſt ; Butyroſa etenim à caloris actione in Spiritus abit ; Seroſa partes intra ſe inſinuat, atque à calore more aquæ attenuatur ; Sola autem *Caſeoſa* ab eodem Agente in ſolidam incraſſatur ſubſtantiam, imò (ſi vehementior fuerit in) Lapidem.

4. Pars itaque Lactis Caſeoſa ea propriè (ſeu ſub diſtinctione à Butyro Seròq;) nuncupanda eſt, quæ ab iiſdem ſeparata ignique ſuperimpoſita in Mucaginem ſeu gelatinam primò coagulatur ; poſteà evaporatâ humiditate, in ſubſtantiam quandam albumini ovi indurati ſimillimam inſpiſſatur, quod neutri reliquorum competit : Eadem poſt Phlebotomiam ſanguini jam frigido ſupernatat, cui adhuc in venis fluenti, aquæ diluentis more, commixta fuerat. Verùm, priùs de uſibus ipſius à Naturâ intentis tractandum, poſt-modùm de abuſibus præter naturæ intentionem eidem accidentibus, & diverſorum generum morbos procreantibus.

5. Uſus Succi iſtius multiplices ſunt : inter quos præcipuus videtur eſſe quod cuncta Animalis membra nutriat, undè etiam Succi Nutritii cognomen accepit. Cujus rei veritas *Ariſtotelem*, ſagaciſſimum utique Naturæ indagatorem, nequaquam latuit ; qui diſertis verbis hæc habet : *Quod ſi Lacti Caſeus defuerit, aut parùm fuerit, illud ſanè ad aquam magis pertinebit,*

Meteor. l. 4. c. 7.

pertinebit, & ad alendi uſum minus idoneum erit. Neque ſolum corporis parenchyma à parte hujus puriori conficitur, reficitúrque, verùm à craſſioribus quoque ejuſdem partibus in gelatinæ cujuſdam formam à modico primùm calore coctis, poſtea verò, diuturni caloris operâ, ſolidiùs compactis, fiunt primò cartilagines, ac demum oſſa; quæ cùm eò duritiei accreverunt, ut Succum diluentem non ſuſcipiant, animalis augmentationi ponitur meta. Hinc in Febribus intermittentibus aliiſque nonnullis morbis in quibus calor nativus debilitatur quidem, non tamen admodùm imminuitur, ex ſucci hujus redundantiâ, non pauci, ætatis junioris ad inſignem, nonnulli etiam ad Giganteam excreverunt magnitudinem: tandiu ſiquidem, ut dictum eſt, augetur unuſquiſque quamdiu oſſa ulteriùs ſe exporrigere apta ſunt. Ex iiſdem cauſis membrorum Curvitas ſeu diſtortio oboritur dum præ inæquali ſucci hujuſce diſtributione, bis nimiùm, parùm verò iſtis diſpartitur, ut in Rachitide cernitur. Ab inæquali autem Agentis vi provenit ut Perſarum liberis quibus tiarâ multiplici involucro elaboratâ obvolvuntur capita, tardiùs ac non niſi poſt longum tempus durefcat cranium; Ægyptiis verò è contrà quàm citiſſimè, eò quod capita radant, atq; aeri exponant. Herodat. l. 3. c. 17.

6. Aliunde

6. Aliunde etiam nonnunquam hoc idem accidit : obſervatum eſt quippe ab *Hildano* infantis cujuſdam oſſa ob præpeditum muccoſæ illius materiæ è naribus fluxum, ceræ inſtar flexibilia deveniſſe; uti vice versâ, eadem ob humiditatis debitæ defectum, friabilia valdè comperta ſunt; quod quidem homini cuidam ab eodem Authore commemorato accidiſſe videtur, cui à minimâ quâvis motus violentiâ effringi ſolita ſunt oſſa.

7. Ad ſuccum etiam hunc ſpectat præter commune nutriendi officium, rigidam cæteroqui nervorum naturam emollire ac flexilem reddere, quò ad ſingulos membrorum motus ſeſe accommodent; quod quidem præſtat puriorum ſui partium immiſſione. Ex his, Spiritu qui intra nervos copioſiſſimus eſt imprægnatis, fit Semen; è quo denuò elicitus in Conceptione Spiritus iſte atq; intra Succum in venis receptus omnes corporis partes ex eo formant. Hinc quicquid in corpore exangue eſt, idem *Spermaticum* ſeu pars *Spermatica* nuncupatur. Porrò, ex eodem ſucco in filamenta quædam, ut mox dicetur, nendo quaſi deducto ſanguinis texuntur Fibræ, imò Sanguis ipſe, quoad potiorem ſui partem, conflatur; adeò ut, ſi uno intuitu integram Hominis fabricam comprehendamus, nihil ſanè eſſe videtur aliud

aliud quam Subſtantia quædam Terrea affabrè concinnata: à Sero, quò ad omnia verti poſſit, humectata, adunata Animæ Spiritali (ſub communi utrique Entis ratione) ſeu ab eâdem animata, à Spirituum deniq; Animæ famulantium impulſu huc vel illuc juxta cauſarum impellentium naturam, intérque has inhabitantis dominæ arbitrium, promoveri aptum. Imò contingit aliquando cieri atque agitari ab his corporis molem celeriùs atque impetuoſiùs (eodem pænè modo, quo accidit, cum vis extrinſecus illata urget) quàm ut ejus conſtitutio ferre queat; unde violenti ac peracuti naſcuntur morbi. Quantâ itaque ſeveritate, tanquam læſæ naturæ rei peragendi ſunt ſcioli iſti medicaſtri, qui præparationes neſcio (imò neſciunt ipſi) quas —— *nihil terrenæ fæcis habenses*, & cuilibet morbo medendi omnipotentiâ quâdam præditas *guttatim* apud credulum vulgus oſtentare auſint; cum permulti ſint morbi, iiſque graviſſimi, qui nullam aliam quàm per rerum terreſtrium ſanguinis motum compeſcentium, opem, admittant medelam; ut taceam interim vehementer rerum naturæ contradicere, ullum omninò mixtum, quantumvis ſubtiliſſimum, à terræ participatione immune reperiri; cùm enim mixtum illud imaginarium non aliunde ſubtile evaſerit quàm

per

per ignis actionem, hic autem perpetuò vicinas cujuslibet rei particulas, quoquò diffugiat, unà secum auferat, consequitur Ignem, licèt partes quidem elevando tenuiores eas à crassioribus quibus secum comportandis impar sit, sejungat, idem tamen minutulas etiam harum molicellas quæ nequaquam ei oneri sunt, cum puriori quam exhalaverat substantiâ etiamnum miscere, & sanè, si radii Solares, licèt igne quovis sublunari longè minores moleculas tamen è crassissimâ quam incolimus Terrâ aliisque corpusculis sursum pariter comportatis misceant, quàm absurdum (proh Chymiæ fictæ & philosophæ pudorem!) est atque statutis naturæ absonum fingere nobis Ignem in mixta terrestria agentem, & tamen nè minimum quidem Terræ, in quam sanè maximè agit, vel dividere vel abripere.

8. Usibus Succi prædictis adjungendus est is etiam, quòd hic (ut ipsemet expertus sum) in pericardio stagnans, liquore congenere cor foveat, ejusque motui lubricitatem facilitatémque conciliet; idem tamen si insigniter redundet Jactigationem, Tremorem & passionem Cardiacam excitet. Ex ejusdem viciniâ & quasi cultivatione, si eximius etiam adsit Calor, nascitur in ipso corde villosa seges; quæ in viris quibusdam præstantissimæ indolis

&

& ad magna natis obſervandum eſt. At nec prætermittendum humorem etiam oculi Chryſtallinum ex eodem coaleſcere.

SECTIO SECUNDA.

De morbis ex Succi redundantiâ, pravâque diſpoſitione provenientibus.

1. HActenus de Succi Caſeoſi naturâ uſúque, jam de morbis è præternaturali ipſius quantitate qualitatéve venientibus diſcurrendum eſt.

2. Ab humoris iſtius exceſſu nimis diluitur Sanguis. Accidit autem hoc quibuſdam è nativâ ipſorum conſtitutione ob optimè coquendi facultatem, aliis à vini exceſſu, (ut rubentes eorum propalant vultus) his demùm à Splene malè affecto; compluribus denique ab Ingluvie, Acediâ vel impeditâ ſucci in ſanguinem aut fibras coctione, ſimúlque in habitum corporis diſtributione; unde ejuſdem in locis indebitis accumulatio fit. Cùm itaque Succus hic concoctionis operâ ad aliqualem caloris proportionem accedat neceſſe

ſit, longè autem majorem ex eo quòd unà cum ſanguine Spiritibúſque mixtus fluat, vix profectò contingere poteſt quin modis jam dictis malè diſpoſiti, in multos tandem aliquando morbos incidant. Variis circa hanc rem cogitationibus fluctuabat *Ariſtoteles*, dum hujuſmodi protulit Sententiam; *Sanies*, inquit (per quam Succum intelligit) *Sanguis inconcoctus eſt, aut quia concoctus nondum eſt, aut quia in Serum degeneravit.* Qui quidem retrogradus naturæ curſus, licèt omninò impoſſibilis ſit, nil tamen rectius aut rationi magis conſonum dici poteſt, quàm quod ab ipſo ibidem concluſum eſt, *Morbum* ſcilicet *infeſtare ſi ſanguis immodicè humeſcat.*

Hiſt. Animal. l. 3. c. 19.

3. Idem Exceſſus, ſi adjungatur calor immodicus, pulſûs magnitudine malitiam ſuam prodit; unde levi datâ occaſione exæſtuat Ira, imò aliquando Inſania. Hinc vehementes Capitis dolores, lethales utplurimùm, qui à veſicatoriis, capiti jam abraſo applicatis, ſublati ſunt, aliquando etiam arteriarum temporalium apertione. Hinc dyſenteriæ frequentes, atque in melancholicis quibus pro ſicco corporis habitu ritè diſpeſci non poterit ſuccus hic, ſputationes pœnè continuæ, imo ſanguineæ etiam aliquando Pleuritis deniq; fluxúſq; hœmorrhoidalis ex immodicâ ſanguinis

ſanguinis à ſucco iſto dilutione oboriri ſolent; in quibus tamen caſibus phlebotomia cautè celebranda eſt, in æſtate præſertim; ablato ſiquidem ſanguine, à cujus viſcidâ fibroſâque indole inhibitus fuerat aliquatenùs humoris iſtius fluidi curſus, effrænato impetu in partem affectam debilitatámque incidit; unde plurimùm irritatur, augetúrque morbus; idem in febribus accidit aliquibus. Aliàs nihilominùs ubi calor, non adeò vehemens fuerit, efficit dyſpnæam, imbecillitatem, laſſitudinem, vultûſque pallorem: Imò, licèt in ſic affectorum manibus venæ ſatis repletæ turgidæque conſpiciantur, eædem tamen ſi ſurſum tendantur ſubſidit illicò plenitudo illa ſubitanea evaneſcitque; certiſſimum Spirituum facilè elabentium, nec in tenaci compactóque ſubjecto retentorum, & nimiæ etiam humorum fluiditatis præ fibrarum inopiâ, Indicium. Hoc modo affecti è levi quâvis causâ in Anaſarcam incidunt; cavendum etiam his à vinorum dulcium tenuiúmque potu, tanquam malo huic incentivum præbentium.

4. A Tenui iſto humore redundante fit nonnunquam Peripneumonia, quæ, cum Febris jam extinctæ vices ſubit, ut plurimùm lethifera eſſe ſolet: Hinc Catarrhus, ſuffocationes, Epilepſia, convulſio-

nes, gingivarum tumores, ſæpe etiam ad ſanguinis eruptionem, Succus autem per carnem ſpongioſam, meatúſque earum patulos faciliùs eluctatus, dentibúſque illitus, intra unius frequenter noctis ſpatium convertitur in pus; quod os fœtore dehoneſtat, ipſóſque dentes computreſcere facit, imò fluoris albi purulenti cauſa eſt. Ab hoc etiam, nimiùm relaxante nervos, obrepit Paralyſis: Ab eodem, caloris præternaturalis operâ agitato, fiunt, modò hîc modò illîc in brachiis cruribúſque maculæ, morbillis haud multùm abſimiles, quæ à Sanguine bilioſo profectæ exiſtimantur. Similiter, ſi ſuccus iſte calidus ſimúlque tenuis fuerit, quamplurimæ magno animo ingenióque Mulieres hyſtericâ paſſione corripiuntur; nam, quæ hujuſmodi præditæ ſunt indole perturbationum impreſſiones facillimè admittunt, difficillimè ſupprimunt; unde etiam præ impetuoſâ fervidâque Sanguinis agitatione oriuntur Fumi Flatúſque, Cordis palpitatio, aurium tinnitus, pulſationes arteriarum temporalium & hypochondrii, dolor dentium, querelæ & Cachinni. His levamen adfert ſputatio, vel etiam vomitio aquoſæ cujuſdam materiæ atque aliqualiter viſcidæ. Paroxyſmi iſti tandiu durant donec Sanguis, præ motûs interceptu frigefactus, fumos flatúſque

flatúſque iſtos ſedet compeſcátque; quod ſimulac factum eſt ad mentem redeunt. Ex iiſdem cauſis in nonnullis animi excelſi elatíque Viris quædam Epilepſiæ naſcitur ſpecies; in quo utroque caſu phlebotomiâ utendum eſt, cùm mala hæc integrè procedant à vaporibus, quos Sanguinis inhibet emiſſio; juvant alterantia frigida; Purgatio verò ut Peſtis vitanda eſt.

5. Præterea, Sputatio, quæ eſt ſucci hujus evacuatio (poſt comeſtionem namque immodicam multa, poſt modicam verò parva accidit) ori interiùs tumeſcenti mederi ſolet; ſilicerniorum quoque vitam producit; cujus etiam ceſſatio ſeu intercluſio nonnunquam in Carum deſinit. Hujus quoque Succi pars aliqua exudari ſolet; unde Tranſpirationis Ponderoſioris nomenclaturam accepit; quæ, cum corrumpitur, & intra vaſa adeſt putrefactio, contagioſa fit. Ex hâc natos Cimices exiſtimabat *Ariſtoteles*, certè è puſtulis ſucci hujus craſſioris plenis naſci pediculos inficiari non poterit; cùm, ſi illos punctione aperueris, è cavernulis iſtis erepentia catervatim animalcula iſta oculis conſpecturus es, unde Capitis dolores nonnunquam levantur; Eadem etiam in quorundam morborum declinatione criticè accidunt. Inveniuntur

antem maximè in infantibus ac mulieribus, utpote in quibus, præ ingluvie & ſedentariâ quam degunt vitâ, abundat Succus. Ob ejuſdem malè alterati efluxum admodùm periculoſi ſunt viſcidi illi in apoplexiâ & febribus, fætidíque ſudores; ii præſertim in quibus guttulæ, millii-formes dictæ, pænè rigidæ ſtant; peſſimè autem omnium in leprâ & Scabie olet Sudor iſtiuſmodi.

6. Idem, cùm præ tenuitate in Thoracem percolatur, ſecundùm aliquam tamen ſui partem inſpiſſatus obſtruit Pulmones, ſit Thoracis hydrops. Hujus Morbi Symptomata, præcipuè verò ſpirandi difficultas, ſub noctem recurſare ac recrudeſcere ſolent; eò quòd circa id tempus ab aëris ambientis inclementiâ debitus ſucci hujus curſus præpeditur atque introrſum repercutitur; unde nonnulli ante ſequentis Lucis meridiem, quo tempore à potenti Solis æſtu liberior fit (uti inferiùs dicetur) externas partes verſus ſucci motio, vix ullum levamen perceperunt: Nec tantùm Thoracem infeſtat, verùm in nonnullis alter etiam Pulmonum Lobus veſiculis repletur plenus, in quibus humor quidam ovi albumini perſimilis continetur. Quòd ſi à ſucco Pulmonum adhæſio ſit, natus excoctus tenax ut gluten eſt (quod profectò nihil

nihil aliud eſt quam partium membranoſarum ſeu Caſeoſarum per coctionem culinarem in primævam materiam reductio) ex eo ferè latere ſtupor (pro adhærendi modo) & brachii reſolutio ſentientur.

7. Huic porrò originem ſuam debet Mola; nam, cum Sanguis præ Succi exundantiâ tenuior eſt, unà cum ipſo ad Embryon confluit; à quo ſolo cùm partes omnes efformentur, ob miſturam hanc heterogeneam, fit moles illa rudis ac indigeſta, omnique penitùs organorum diſtinctione deſtituta.

8. Non me fugit multos ex his morbis ad Imbecillitatem (potiùs dixerim, Lævitatem) Splenis feſtinum nimis ſuccum quamdiu oportebat non retinentis referendos eſſe: verùm, immodica Succi tenuitas, licèt Splen vitio prorſus vacet, conſimiles omninò effectus productura eſt. Reliquos quod attinet morbos hîc à nobis enumeratos, non opus eſſe arbitror, ſingulos peculiari applicatione in Succi abundantiam tanquam in cauſam referre propriam; Hinc ſiquidem ortum habere ſaltem horum plurimos luculentè patet; partim, quòd ſic affectorum Sanguini magnam ineſſe Succi hujus copiam obſervatum ſit; partim autem quòd vomitione, ſalivatione, abſceſſibus veſicatoriis

riis, fouticulis aliiſque evacuandi Succi viis, eiſdem occurratur; partim denique quòd aliquando magna hujus copia poſt mortem in venis & Corde concreta reperta fuerit.

SECTIO TERTIA.

De inſignioribus Succi Alterandi Evacuandíque modis, item de ejuſdem Motu atque Effectibus.

1. AD Alterationes Succi magis notabiles proximè intuitus noſter convertendus eſt: Illud autem in primis conſiderandum venit, à quo demùm Agente humor iſte immutatu proclivior ſit. Exponatur itaque Succus tentandi gratiâ, Aëri in tempeſtate frigidâ gelandus, & poſtmodùm egeletur denuò, priſtinam ſanè eum omninò retinere adhuc indolem comperiemus; at neque à Sale communi alterationem ſubire natus eſt. Crudior equidem ipſius pars ab Aceto coagulatur, & particulæ denſiores feruntur deorſum, ſedimentíque illius quod in Cachecticis reperitur, inſtar habet; unde eandem eſſe utrique originem communis

communis utriuſque acerbitas ſuadet. Reſtat itaque ut ſolus Ignis, vel quod igneis partibus pollet, hujus inſpiſſandi vim habeat; quibus propterea commemoranda ſunt (utpote Cauſtica atque igne fœta) Aqua Fortis ac Vitrioli Oleum.

2. Fit autem Inſpiſſatio iſta à partium tenuiorum evaporatione, quò fit ut terreſtres quæ relinquuntur denſiores reddantur atque compactiores; cujus pravæ diſpoſitionis effecta in morbis quamplurimis experimur. Si maxima ejus pars incraſſata fuerit, naſcitur Apoplexia. Hæc ſi, quando virium adeſt vigor, ſupervenerit, craſſior jam Sanguis, per exilia Capitis vaſa pulſus, eorum tandem perrumpit tunicas, unde provenit ut Sanguinis extravaſati magna ibi reperiatur copia. Hoc idem in Pulmonibus contingit: utrobique autem, facto conatu vehementi ad ſuccum nimis ſpiſſum ejiciendum, inſequuntur inde Spuma & Stertor. Hujus rei experimentum præbebit Aquæ fortis aut Olei Vitrioli in Canis vivi jugulares cruraléſque venas Injectio.

3. A redundanti Succi huius, ultra nativam conſiſtentiam inſpiſſati, quantitate, Febres malignæ in univerſum omnes ſuppullulant; Nam, cùm hic in nutritionem diſtribui nequeat, concoquive,

quíve, neceſſe eſt ut opprimat. Quare, hoc morbo laborantibus pulſus in initio plerumque magnus, aliquando intermittens, inæqualis aut decurtatus, pro inſpiſſationis gradu, prout nimirum faciliùs difficiliúſve per Pulmones eluctatur Succus. Si à partis cujuſquam inflammatione oriatur Febris hæc, primò rigor quidam Corpus percellit, quem demùm vehemens æſtuatio excipit; nullus tamen (ſicut fit in Tertianis) excernitur Sudor, Apyrexia nulla. Eſt autem urina ſedimento admodum rubenti craſſóque, & in nonnullis ſui partibus farinam lateritiam referente ſubſtrata. Hæc cùm ita ſe habeant, procul amovenda ſunt quæcunque inſpiſſare ſunt nata, ut quæ certiſſimè morbum augeant. Eandem ob cauſam neque hic purgandum, neque ſudandum eſt; utrumvis enim horum feceris, Serum, unde Succus diluitur, expellitur, contrahitúrque ſpiſſitudo.

4. Idem humor ad craſſitiem ſuperexcoctus atque in pulmone hærens, pleuritidem, anginam, tonſillarum inflammationem, Rheumatiſmum, ſcabiémque efficit: quæ ſi contingerint, ſuperſternetur hærebitque ſanguini emiſſo ipſe ſuccus viſci inſtar glutinoſus, ipſéque Sanguis præ fibrarum defectu, ſubtùs, imò in fundo non nigricans, ut natura fert, ſed colore

colore rutilo perfusus apparebit. Ea quoque Luis Venereæ ſpecies quæ ſcabie ac ulceribus ſcatet in hoc ſedem habet; uti ex ſic affectorum ſanguine propriâque horum medelâ (Salivatione) affatim conſtat: neque hæc contagioſa eſſe potuit niſi vel ulcus in pudendis eruperit, vel Succum in venis corruperit Putredo. Propagatur autem infectio iſta per Gonorrhæam maximè, ſive in viris ſive in fœminis ea fuerit: quæ quidem nihil aliud eſt quam pus quoddam venenoſum ab ulcere prorumpens intimo; Ab hâc autem putridâ ſcaturigine abſumitur (utpote in eam degenerans) tandem id ſucci è quo nutritionem fieri oportebat; unde morbo hoc laborantes atrophiâ confecti, haud abſimiliter iis qui pthiſi tabeſcunt, emoriuntur; ſimilis quippe omninò ſanies utrique profluit. Nec prætereundum quòd à nobiſmet, dum peregrinas orbis partes inviſimus, obſervatum eſt, nempe in *Guianâ* quodvis vulcus vel leviſſimum, ex neglectu in Luem hanc Indicam protinùs converti. Fortaſſis etiam Calor Humórque (putredinis parentes) qui tum ibi tum in plurimis *Americæ* locis maximè regnant, morbum hunc in regionibus iis Endemium efficiunt. Quibus enim pertenuis eſt Sanguis facillimè nimium concipiunt calorem, atque in Febres lentas incidunt,

incidunt ; maximè autem omnium in prægnantibus ſuecus in ſaniem converti aptus eſt, unde facillimè in phthiſes labuntur ; nam, cùm Succus ſpiſſior jam factus in pulmonibus inviſcatur, corrodit partes in quas incidit, pari omninò ratione quâ eadem materia faciem variolis obductam, præ diutinâ retentione, inæqualiter excavat. Eſſe autem eandem prorſus utrobique materiam, ex utriuſque ſuppuratione, quod ſoli competit Succo, manifeſtum redditur.

5. Cum certiſſimum ſit ſuccum eum qui nervorum inſervit Nutritioni Motuíq; valdè ſubtilem eſſe, idcircò, ubi in Febribus Succi inſpiſſatio prodit ſe in ſedimento varia ejuſdem diſpoſitio, crimnodea ſcilicet, grummoſa, pellicoſa aut furfuracea, manifeſta ſunt convulſionis ab inanitione indicia. Similiter, ſputa rotunda, venas arteriáſque in pulmonibus & capite occludentia, imminentem ſubindicant phreneſin, (Febris autem cum hoc ſymptomate interdum in phthiſin deſinit) præſertim ſi materia iſta in caput congeratur ; unde omnes ferè phrenetici ſunt ſputatores.

6. Arthritis & podagra eundem prorſus humorem cauſam ſui habent : in eo autem diſcriminantur quod in arthritide ſubtilior ſit ; unde per ipſam carnem vel ſaltem

ſaltem inter cutem carnémque ad artus derivatur, ibíque ſtagnans febriculam concitat. In Podagrâ verò craſſior eſt, tardóque inceſſu per vaſa perioſtii meat; unde eadem cum ſummo dolore diſtendit paulatim quò eluctetur (nam ſi criticè in carnem detruſa eam tumefecerit, ceſſat plerumque exacerbatio) non autem perfringit; quò fit ut ad humoris iſtius exceſſum in ſe admittendum quâvis tempeſtate evadant capacia; præſertim circa Æquinoctia, quibus anni temporibus Febres graſſari ſolent malignæ: à quibus proinde, uti etiam ab aſthmate, vertigine, hemicraniâ, nephritide, aliíſque hujuſmodi morbis (in quos ab intempeſtivâ humoris iſtius repercuſſione vel impedito curſu multi inciderunt) à vicario Podagræ affectu complures liberati ſunt.

Hypochyma nihil aliud eſt quàm ſuccus iſte denſatus; ab eodem quoque per palpebras in oculos defluente fit ſæpiùs ophthalmia, unde, quicquid humorem iſtum ſive intercipiendi ſive aliorſum derivandi vim habet, ubicúnque demùm id applicueris, idem huic futurum eſt remedium; hinc etiam fit ut morbo hoc mox laboraturi tumorem quendam prurientem in tarſis præſentiant, qui poſtea in pus ſcabiémque verti ſolet.

8. Porrò, Tuſſes humidæ, Rancedines,

nes, & Coryza ab hâc eâdem proficiſcuntur causâ: Quandoque autem à ſuccо hoc frigoris ambientis vi intùs repercuſſo, proveniunt; nonnunquam etiam à debilitate virium eundem ad corporis extremitates pellere ac ritè diſtribuere non valentium. Eſt autem diſpoſitio hæc cachecticorum ac Senum propria; cui proinde roborantia remedium adferunt. Sic *Leonicenus*, annum ætatis agens nonageſimum ſextum, carnium euchymarum juſculíque ex eis facti eſu ac vini dulcis generoſíque potatione à raucedine ac gravedine ſemet liberavit.

9. Hinc etiam oriuntur inflammationes omnes, abſceſſúſque, ſputà craſſa, & ſedimenta copioſa; quæ in humore hoc à partibus nobilioribus ad minùs nobiles transferendo excernendóque mutuas ſibi invicem accommodant operas. Eandem ob cauſam Achores à Catarrhis, Epilepſiâ, & Capitis doloribus infantes liberant; Et Pus per nares auréſque ebulliens, ulcerum eruptio aut ſputa craſſa cephalalgiam ſolvunt. Idem præſtant Fonticuli, modò debita quantitate fluant; unde quamplurimi perdifficiles obſtinatíque morbi horum ope ſanati ſunt, è contrà verò, his imprudenter exiccatis, non pauca eáque mortifera proruperunt mala. Hinc catarrhi in omni ætate à ſtrumis faviſq; remedium perceperunt.

percepêrunt. Unde dictum *Hippocratis*, *Aph.* 74. *l.* 4. *Quibuſcunque abſceſſus in articulis expectatur, ab eo abſceſſu vindicat urina multa craſſa & alba, qualis (urina) laborioſis in febribus exire ſolet, quartum diem (morbi) agentibus. Quodſi narium quoque accedat profluvium, multò celeriùs liberantur.*

10. Succus hic in nobis bilioſæ materiæ, ubicunque demùm ea reperitur contrarius eſt: unde Saliva noſtra viperam ſcorpionémque necat; nec minores exercent inimicitias humores iſti, etiam cùm in eodem Animali inveniuntur: Hinc Canis rabidi & Paſtinacæ marinæ jecora, ob bilioſam quam continent materiam, tum ictui hujus, tum illius morſui (quibus modis ſuccum venenoſum impartiunt) optimè medentur. Cur poſt dies quadraginta aut eo amplius in hydrophobiam incidat à Cane rabido morſus intelligi poterit, ſi modum quo tunc temporis afficitur Animal illud & ſpumei quod ejectat veneni indolem conſideremus: Canis ſiquidem rabidi ſanguis vehementi ut plurimum calore accenditur, unde motus violentus & nova iræ ſupervenit inſania, ad quemvis dentibus petendum eum inſtigans; ab his torretur Succus incraſſatúrque, qui (terrenam utpote naturam ſapiens) ſucco noſtro commix-

commixtus, non niſi lentis gradibus eandem (hoc eſt inſigniter calidam & ſiccam) induit temperiem. Quod cum ſit, non mirum, phantaſiam, eodem (ut mos eſt) imbutam genio, Aquam, rem, ſiqua alia, maximè ipſi contrariam atque inimicam valdè reformidare ac perhorreſcere: unde apud vulgus unica huic morbo medela habetur in aquam immerſio; oppoſitæ nempe Elementi hujus qualitates magnâ copiâ applicatæ malum hujus morbi affectum immutant ſubdúntque. Unde nihil reperitur in morbo hoc peculiari admiratione dignum præ quod in aliis uſu venit; maximè ſcilicet refugere ægrotos eas res quæ affectui quo detinentur medendo ſunt maximè omnium efficacia, hoc eſt, revera maximè Contraria.

11. Porrò, Saliva Licheni, Furunculis & verrucis medetur, reſolvitq; Sugillata, non aliâ profectò ratione quàm quòd præ humiditate in horum primùm demittatur ſubſtantiam, poſtmodùm à Calore denſatus, & glutinis cujuſdam duriſſimi inſtar interiores meatus opplens, humoris ſive nutrimenti in eam partem appulſum, ligaturæ more, præpediat. Declinante jam poſt aphthas & variolas febre malignâ non ſemel obſervavi Ptyaliſmum, poſtquam Caloris vehementia ad mediocritatem

tatem jam reducitur, ſatis fæliciter ac criticè morbi cauſam evacuâſſe: quod profectò ſæpiùs eventurum eſſet: ni, calidis præpoſterè ſumptis, naturæ bonitati malè fuiſſet conſultum. Imò ptyaliſmum animadverti, ubi Febris aut nulla aut parva admodùm adfuit. Hoc modo affecti Sanguinem habent, qualem in pleuritide cernimus. In febribus item malignis compertum eſt Frigida tum Sputationem excitare, tum Salutem adferre: Quid conjicere prohibet Hydrargyrum etiam ex particulis frigidis & humidis (iiſque ſubtiliſſimis) conſtans, penetrando relaxandóque tum ſuccum hunc viſcidum, tum glandularum oríſque tonum, ſalivationem efficere. Ab hoc etiam Succo nimiùm calefacto atque aquæ ferventis inſtar Cutem à carne divellendo papulas erigente, fiunt Aphthæ.

12. Quando idem Succus Febres intermittentes cauſat (quod quìdem ſæpiſſimè fieri ex inſigni quam reſpectu puri Sanguinis poſt phlebotomiam habet, proportione, manifeſtè conſtat) non adeò copiosè ſudatur quantum cum à Sero naſcitur; pejora tamen longè ſunt eis ſymptomata, paroxyſmi ſcilicet diuturniores, dolores Capitis, atque Urina ſaturatior, aduſto craſſóque ſupernatans ſedimento.

13. Quodſi præ contuſionibus largioribus Succi curſus intercluſus fuerit, in glandulas morboſas ac verrucas degenerat; imò, qui Lue venereâ atque Elephantiaſi laborant ab eodem corrupto verrucosâ bullarum ſegete interdum cutem obductam habent; in aliis Lue peremptis ubique venarum, atque in locis iis ubi præcipuè inceſſit dolor, pituitæ inſtar inſpiſſatus repertus eſt.

14. Prudentiſſimè cautum eſt ut ad calculum malè diſpoſiti ab eſu caſei ovorúmque albuminis temperarent: Ad hunc ſiquidem compingendum copioſum ſuppeditant iſta materiam, eò quòd horum utrumque terreſtris ſuccóque affinis ſit proſapiæ. His autem gradibus coalefcit Calculus. Primò Succi aliqualis pars à calore præternaturali, non tamen immodico, Sero optimè commixta in muccaginis cujuſdam formam elaboratur: hæc in digitorum articulos incidens atque à Caloris exceſſu in craſſitiem lentè torrefacta, Tophos efficit; in Pulmone autem, renibus, aut quâvis aliâ Corporis parte detenta in lapillum quendam durum ac plerumque (niſi ab humoribus intingatur) albicantem concreſcit. Neque hoc mirum cuiquam videbitur, ſi naturæ in operando methodum veſtigiatim attentéque ſequamur; cernimus quippe oculis

lis ovorum pelliculam teſtámque eodem planè modo ab albumine fieri, & ſubſtantiam quandam petrefactam ex eâdem materiâ defluente, dentibus adnatam. Invenit *Columbus* Calculos in Portæ atque Hæmorrhoidum venis; In Sanguine item Leproſi obſervatæ ſunt arenulæ; imò, quod mirum eſt, cuidam dolore Iſchiadico undecim jam annos laboranti, qui poſtea in genu delapſus eſt, apertâ exteriori Malleoli venâ, cum ſanguine ferventiſſimo proſiliente, Lapilli quoque figurâ & quantitate Rapi ſeminis, quantúmque teſta nucis juglandis capere potuit, unà quoque exiliérunt; unde perfecta ipſi reddita eſt ſanitas. Reperiri in Brutorum complurium Hepate Calculos cum ſicco veſcuntur pabulo non inuſitatum eſt; à quo affectu ex graminis (dilutioris utiq; alimenti) in paſcuis eſu liberari ſolent. Par huic medela contigit nonnullis ex Lactis aſinini potu, vel à Cereviſiæ tenuis aquæve ante comedendum ingurgitatione; imò ſolis herbarum infrigidantium ſuccis Fœmina quædam Nobilis à mucci-laginis hujus alborúmque calculorum infeſtatione, unàque cum urinâ excretorum, à nobis ſanata eſt. In veſicâ quoque Fellis generantur Calculi læves & friabiles, cùm pars materiæ iſtius unà cum bile illò delata eſt; cui conſonat obſervatio *Hippocratis*

pocratis Calculum fieri in Infante ex Lacte valdè calido & bilioſo.

15. Notandum tamen aliquam Succi redundantis portionem ad ungularum, cornuum, dentiúmque fabricam cedere; Impotentia illa Progrediendi, equos cæſpitantes & inutiles reddens, accidit quando ungula (more clavorum in pedibus noſtris) adeò induratur, ut partium vicinarum teneritudinem comprimat lædátque.

16. Porrò, cùm Morbi contagioſi ut Lepra, Variolæ, Phthiſis, Lues Venerea Scabies originem ſuam à ſucco corrupto acceptam habeant, naturam ejus jam degenerem juvat penitùs explorare. Si enim in pus perfectè verſus fuerit, illúdque diuturnitate moræ inveteraſcens ad extremum ferè corruptionis pervenerit gradum, aliiſque contactu communicatum fuerit, *contagioſum* dicitur. Fit autem Contagio iſta prorſus hoc modo. Pus illud, quod communicari diximus, vicinam humoris capacis partem primò afficit atq; viſcoſam continuitatem perfringendo in ſuam immutat naturam; hæc (jam nutritioni aut ſanguini creando inutilis) deinde proximam, & ſic deinceps, donec ad integram maſſam virus propagatum fuerit; idque ſeriùs citiúſve pro Agentis viribus ac mutabilitate Patientis. Unde nemini

nemini mirum esse debet quod parum Veneni integram humorum omnium substantiam inficiendi vim habeat.

17. Præterea unum hoc addere libet, tanquam ad discursum præcedentem de morbis è succo natis eorúmque medelâ non parùm lucis allaturum; nativum Succi cursum (ut sæpè jam innuimus cutem inter carnémque peragi. Hoc autem esse verum, indè patet quòd materia illa quæ vesicatoriorum ope evellitur, quæque in papulis cutis continetur, ubi nequaquam sanguineam sapit indolem, ita si eam igni admoveris, ejusdem prorsus esse naturæ cum Succo ex pari utriusque inspissatione comparebit. Patet etiam inde quòd extimæ corporis partes quæ per cutem relucent, nisi quid insolitum obstet, albicare (nisi ubi cutis tenuior est ut in aliquibus faciei partibus) conspiciamus; qui quidem color non Sero neque sanguini competere sed solius Caseosæ partis esse proprium manifestissimum est.

18. Ratio autem quare Succus in cursu suo hanc accipiat semitam præcipua esse videtur, quòd tenuior sit is sanguine; quò fit ut cum per arteriarum quarundam extremitates egrediendum est, pars purè sanguinea cum fibris & succi aliquanto per ordinarios ab his ad venas meatus rectà progrediatur, seu veriùs à cordis impulsu feratur; Succus autem diffluit

undéque & à patulis venarum oſculis reſorbetur quibus etiam viis cum maſsâ ſanguinis iterum miſcetur. Accidit, quod Succus, uti oculis manifeſtum eſt, à calore nimio inſpiſſatur ac proinde à frigore in tenuitate naturæ ſuæ debitâ conſervetur; quare, cùm in majoribus vaſis inſignior ſit caloris vis præ quod in parte corpus illâ ambiente reperitur, infrigidatur paulatim toto decurſu Succus, dum in minores uſque diſpergitur arterias, indéque inter cutem carnémque, à quâ causâ provenit quod in perfectâ tenuitate retinetur. Adſtipulatur veritati huic, quod ſanguis ſi quando dilutior ſit vel commoveatur vehementiùs ad extremas quoque partes unà cum Succo proruatur, adeò ut per Sudorem aliquando etiam effluat quandoque verò (cum nimirum, aliquanto plus tenuitatis ac caloris adeſt) in extrema corporis actus, aliquas ipſius partes quo proclivior eſt via, occupet, ibíque obcurſûs perennitatem colore ſuffundit rubicundo, ut in vultu ebrioſorum videre licet. Porrò, eam partem verſus potiſſimùm vehendus eſt Succus quò vis motrix ſeu inſequentis Sanguinis curſus eundem impellere aptus eſt: Vergit autem is perpetuò, cùm circularis ſit, ad circumferentiam; talem namque eſſe motum projicientium circulariter nôrunt Mathematici. In quam-

quamcunque itaque partem noſtram verſemus conſiderationem, tritam Succi ſemitam inter cutem carnémque poſitam comperiemus. Hinc poſtquam glaciem manu aliquandiu prehenſam dimiſeris, experiêris illicò ſenſationem quandam percalidam, punctionis quaſi ſeu titillationis more, extremitates manûs moleſtè perſtringentem; quæ nihil aliud eſt quàm Succi pauliſper impediti, jamque cum impetu & duplicatâ ex inhibitione eâ motus vi, in Callem ſibi proprium denuò irruentis importuna contentio. Nec alia aſſignare poterit ratio cur hyeme ſedimentum auctius craſſiúſque, aut cur Quartana cæterique morbi Autumnales, eâ tempeſtate incipiant, vere autem abſcedant, niſi quòd, tunc temporis ab ingruente Frigore in pravè diſpoſitis repercutiatur Succus, à revertente autem Sole in exteriores denuò partes evocetur.

19. Cùm autem quò concitatiori res quævis fluida propellitur motu, eò propriorem ac magis patulam arreptura eſt viam, ſin lento impulſu protrudatur, plus eidem ſuppetit otii ad ubivis pro libitu expatiandum diffluendúmque hinc ſicut ubi adeſt pulſus undoſus (tardum utiq; ſed magnum, ſanguinis inceſſum denotans) largiorem effluere ſudorem con-

ſpiſcimus, ita, è contrà ſi quando violentior ſit ſanguinis motus, non vacabit Succo per anfractuoſos intra carnem cutémq; mæandros ignavis paſſibus perrepere, ſed feſtinanti incumbet directum ab arteriis ad venas iter capere; unde fiet ut vel nullas vel ſaltem breviſſimas extra vaſa moras protrahat, ac proinde calidior ſpiſſiórque reddendus ſit. Inter reliquas autem motûs hujus vehementis cauſas meritò numeranda eſt humorum in vaſis contentorum abundantia, ipſorúmque inde ſecuta vaſorum plenitudo; modò adeo inſignis non ſit, ut non ad ipſum cor obruendum ſed tantum ad irritandum prævaleat. Porrò, iſta humorum abundantia è duabus potiſſimùm naſcitur cauſis, ex ingeſtorum ſcilicet exceſſu ſive facultatis concoctricis quâdam (ut ita dicam) fœcunditate, atque ex intercepto ſubter cutem Succi illapſu; quod ſi contigerit, rectà ab arteriis ad venas provehetur, unde ex exceſſu ipſius in majorem turgeſcent amplitudinem diſtenta vaſa. Quare, ſi quando ab impacto frigore obſideantur obſtipentúrque meatus quò Succo eundum erat, tum ipſe Succus magis calefit (utpote in vaſis ubi viget calor, perpetuò clauſus atque ad ſuum quoque refrigerii locum accedere prohibitus) tum vaſa etiam tumefacit, unde cordis

prælargâ

prælargâ irruentis ſanguinis inundatione ſe exonerare ſatagentis commotio vehementior, indéque rurſum, calore etiamnum aucto, nova Succi inſpiſſatio majórq; adhuc per vaſa ad locum ſuum penetrandi difficultas; donec tandem ad eum torrefiat craſſitudinis gradum, ut per communes & patulos ab arteriis ad venas canaliculos pervehi nequeat; quo facto cor in arterias jam infarctas ſanguinem propellere impotens, ab inutili motu ceſſat moritúrque Animal.

20. Ex hoc diſcurſu adeò facillimè colligi videtur morborum (Febrium præcipuè) è Succo natorum origo, ut applicatione ſpecialiori nequaquam indigeat; Cernitur etiam cur in Febre malignâ excernatur urina craſſa, ſi multa ſit, Criticè: indicat ſiquidem Naturam, morbi cauſam, cui ſuccumbebat, illâc exonerare. Cernitur quoque unde pituitoſa illa ac craſſa materia in Febribus generatur quæ ſcreatione à capite faucibúſque, tuſſi è pulmone elicitur ore demùm expuenda: Eſt namq; iſta nihil profectò aliud niſi Succus nimiâ (modo quo dictum eſt) calefactione inſpiſſatus. Denique, nihil quicquam reperietur in hujuſmodi morbis quod difficultatem creare poſſit, modò ad naturam Succi cauſarúmque à quibus craſſior debito redditur cautum mentis noſtræ intuitum advertamus.

21. Ne-

21. Nequaquam verò prætermittenda videtur particularis de Cutis Aſtrictione, ſeu cum carne adhæſione quæ ab hoc curſu intercepto immediatè exoritur mentio, unde non rarò macies, phthiſis, tuſſis, febris Hectica, diarrhœa, abſceſſúſque interni proveniunt. Illud porrò obſervandum, quod ſi à frigore externo curſui huic ponatur obſtaculum, afficiatúrque inde pars aliqua partem quæ opponitur reſpondétque huic Internam onerari dolorémque percipere. E contrà, ſi ea fuerit naturæ debilitas ut ſuccus iſte in corporis habitum propelli omninò nequeat, tunc enimverò ſiccabuntur ulcera; quod in morbis periculoſis certiſſimum mortis indicium eſt. Quare, in hujuſmodi morbis tota pænè Medici opera in eo locatur, ut Metaſyncriticorum atque unguentorum vel Balnei ope Succum ad extrema corporis reducat, hinc puſtulæ in labiis aliiſve partibus erumpentes eſt certum recedentis morbi prognoſticon; non quòd aliquid magni momenti evacuent, ſed quod monſtrent Succum jam ſolitum recuperâſſe curſum & priſtinis de integro cieri alveis.

22. Humoris iſtius redundantiâ multis ſe modis exonerat Natura; quam imitare Artem oportet, per Capitis ſcilicet Emunctuaria (in quibus ſedem habet Parotis,) axillas

axillas & inguina; unde nativum partium harum excrementum Caſeum olet, Porrò, in his erumpunt Abſceſſus, quando humor iſte præ nimiâ copiâ corrumpitur eò quòd glandulæ crudioribus hujus alantur partibus, imò opprimantur, dum ad nutriendum corpus non ritè diſtribuitur, aut in iis manens nequaquam debitè alteratur. eundem pulmones, nares & oris glandulæ per ſputum, ſcreatúmve eliminant; quod, ſi aliquantulum adſervetur, puris more fœtet: è quo etiam componuntur ſedimenta omnia craſſa & viſcida: Vidi quendam rheumatiſmo, tuſſi & febre laborantem cum ſedimento craſſo, à copioſâ, per veſicatoria brachiis applicata, evacuatione relevatum & ad nativam denuò claritatem reductam eſſe urinam.

SECTIO QUARTA.

De Succi defectu & Morbis inde ortis.

1. REſtat pauca adjicere de Succi defectu, ejus cauſis, morbiſque inde natis; in quibus, ſanguis miſſus ubi refrixerit omni hoc deſtituitur humore. Fit autem ut plurimùm à nimiâ potûs calidioris ingurgitatione, atq; à cibi interea

temporis

temporis abſtinentiâ; unde multoties obſervavi Febrem cum Phreneſi, aut Apoplexiam, utramque autem planè lethalem ſecutam fuiſſe, ipſóſque hoc modo affectos glutinoſo quodam ſeu viſcido ſudore maduiſſe; certiſſimum profectò indicium, ab immodico Calore ac pororum hiatu inſolito, unà cum Sero, Succum quoque nimis dilutum exhalatum eſſe. Hinc in extinctis à febre malignâ invenit *Riolanus* ſanguinem inſtar medullæ ſambucinæ in vaſis concretum: Idem animadverſum eſt à *Fernelio* in quodam à diutino languore perempto; & à *Salio* in arteriis & venis Virginis cujuſdam è ſyncope demortuæ, quæ die obitum antecedente Capitis gravedinem, vertiginem atque anxietatem paſſa eſt: Idem accidit ſanguini venenis illis infecto quæ ſuccum immodicè exhaurire ſolent; in his verò ut plurimùm profundus obſervatur ſopor mortem præludens.

2. Liceret hîc in immenſum expatiari, verùm Principiorum firmitati Lectorúmq; acumini fiſus, morborum ſymptomatúmque particularium mentioni in plurimis hujus opuſculi locis potiùs ſuperſedendum arbitratus ſum, quàm prolixas de ſingulis enarrationes inſtituendas, præſertim ubi de Succo, feraciſſimo morborum Campo agendum eſt.

SECTIO

SECTIO QUINTA.

De Fibris.

1. A Succo ordine recto ad Fibras promovemur, ut quæ non niſi Succi partes ſint coctiores, viis à Naturâ ſtatutis in majorem ſpiſſitudinem denſitatémque compactæ; unde & Terreſtrem ſapiant indolem, quoad fines à naturâ intentos ſint magis accommodatæ. Eſt quippe pars illa quam *purum ſanguinem* appellamus valdè friabilis, Succus autem Serúmque nimis fluida; quò igitur firmior adhuc conſiſtentia robúrque & quaſi animoſitas Corpori accedat ad dictos humores uniendos & veluti colligandos, Fibris opus erat. Hinc Animantia ea quibus paucæ inſunt fibræ, imbellia ſunt ac timida, ut in Lepore cernitur & Damis; quorum proinde ſanguis plurimo quidem Succo diſſluit, præ fibrarum autem inopiâ vix coit, ſeu coagulatur. E contrà verò, Tauri, Apri & hujuſmodi belluæ quæ fibris abundant, animoſæ, iracundæ ac furibundæ ſunt; denſior quippe harum ſanguis, tardiori inceſſu per vaſa meat, nec reſilientiâ ſubitaneâ Cor opprimere aptus eſt. In his itaque perturbationes ſanguinem equidem calefaciunt accen-

accendúntque, non autem nativum ipſi curſum præpediunt, vel à ſanitatis ſtatu eum dimovent; licèt, ob ſubjecti denſitatem, conceptus ſemel atque altè imbibitus paſſionis alicujus calor difficiliùs eam ob cauſam deponatur.

2. A craſſitie nuper expoſitâ ſanguis bubulus pro veneno habitus eſt: certè potum ipſius eſſe lethiferum funeſto nimis didicêrunt experimento *Midæ Phrygiæ* & *Pſammenitus Ægyptiorum* Reges; nec minori pretio hujus rei cognitionem emêrunt *Æſon* & *Themiſtocles*: Hic ſiquidem intra venas receptus, nec Pulmones præ ſpiſſitudine perrepere valens, ſpirandi difficultatem ac præfocationem efficit, cum ſpaſmo prævalido. Quam ob cauſam Mulieres noſtrates, cùm apexabonibus conficiendis operam dant, fibras, dum adhuc calet ſanguis, diligenter extrahunt.

3. Affectus nimiæ Fibroſitatis ſunt qui è tardo inſpiſſati ſanguinis oriuntur motu; cujuſmodi ſunt ſegnities, torpor, ſtupiditas, atque Apoplexia; dignoſci autem poterit Apoplexiæ ſpecies hæc ab iis quæ à Sero Succóve naſcuntur, quòd illæ ſubitò & unico quaſi ictu opprimant, hæc autem non niſi gradatim obrepat. Nonnunquam Fibræ hæ in pilos abeunt, & tum per urinam tum per ſeceſſum excerni

cerni ſolent, imò in calculos aliquando; cùm enim ſat humoris quò in pus vertantur non habeant, idonea proinde ſunt (quemcumque in locum congerantur) quæ in ſcirrhum vel etiam duriorem calculi ſubſtantiam, compingantur. Hinc obſervatio illa *Hippocratis*, *Quibus capilli quidam è renibus excernuntur* ii (ex *Galeni* ſententiâ) in calculoſæ coagmentationis periculo ſunt. *Aphor. 76 l. 4.*

4. Affectuum autem nuper dictorum è fibroſitate nimiâ provenientium propria certè ſunt medicamenta ea quæ fibras communiendi ac proinde ſanguinem attenuandi vim habent; inter quæ præcipuum vendicat locum oleum Tartari; cum experientiâ conſtet Canes in quorum venas magna hujus injecta eſt quantitas, turgeſcere protinùs atque emori; eorum quoque peremptorum ſanguinem dilutiorem ac fluidiorem ſolito repertum eſſe. Par huic effectus ex Hæmorrhoi morſu ſequi videtur; cùm vulneratorum ab ipſo ſanguis per omnes corporis partes effundatur, quod abſque notabili fibrarum comminutione fieri non poſſe videtur.

5. De ſymptomatis è ſanguine præ admiſtione humorum tenuium, Succi nimirùm ſeríve provenientibus, jam ſatis ſupérque dictum eſt, notandum verò cachecticas

chectícas nonnullas, præcipuè verò puellas, ſanguinis tenuitate laborantes, deeſſe ſibi ad medelam cibos craſſiores à naturâ edoctas, ſalutifero (præpoſtero tamen aliquâ ex parte) appetitu argillæ, teſtis fictilibus, lutóque aviditate inexplebili inhiare.

6. Functæ jam intra ſanguinem munere ſuo Fibræ, ita ordinante Naturâ, in inteſtina protruduntur; quibus more ſubdititio adhærent, eaq; contra acrimoniam bilis aliáque ejuſmodi incommoda ſui interpoſitione protegunt ac communiunt. Quòd ſi nimia harum quantitas illuc confluxerit, cùm parva adeſt bilis proportio à quâ ad has ejiciendas irritari debebat natura, in magnam proinde accumulabuntur molem; unde dolores contumaces & acuti (colicis ferè ſimiles at difficiliores longè curatu) inteſtina torquent ac cruciant; nonnunquam & ipſi colici præ nimiâ ſtupiditate aſtrictionéque ex hâc causâ natis. Aliquando etiam excretæ ſunt pelliculæ quædam inſignis craſſitiei ac longitudinis, adeò ut à nonnullis ipſamet eſſe Inteſtina cenſenda ſint. Porrò, faſciæ iſtæ adhæſione obſtinatâ meatus in Inteſtina obſtruentes, fumorum & melancholiæ cauſæ extitêrunt. Vidimus ipſi veſiculas complures luteo quodam humore atque ſeroſo (ab Igne enim inſpiſſari

ſari renuit) unà cum viſcidâ & pellicosâ hâc illuvie egeſtas; imò abſque eâ quod ſanè mirum ab eodem homine plus centum. Erat ei vultus ante harum extruſionem triſti quodam pallore obductus, venter ſcirrho ubiq; obduruerat, qui poſt iſtarum ejectionem emolliri ac diminui occœpit; at cum redibant jam vires, & de morbo cui antè ſuccubuit, jam pænè victrix natura triumpharet, ex intemperantiâ in Colicum incidit; à quo præſuorum negligentiâ peremptus eſt. Obſervavimus etiam magnam muccoſæ illius materiæ excretam vim, poſtquam melancholiâ laborantes quibus affatim inerat, ad mentem jam redituri erant. Idem poſt obſtinatos contigit Icteros, dum purgationi dabatur opera. In aliis totalem & planè lethiferam fecêrunt Fibroſæ hæ concretiones obſtructionem; in aliis caloris vi in calculos obriguêrunt; ovorum modò, modò juglandum inſtar; non abſque violentis Colicæ Iliacæq; paſſionum ſymptomatis; Nonnullis abſque doloris ſenſu exonerati ſunt, multis angulis variegati, magnitudinem caſtaneæ exæquantes; cujus rei multa ab Authoribus commemorata ſunt exempla.

7. Cùm itaque Fibræ ad naturæ opera ſint neceſſariæ, neque earum forma, utpote conſtans, et perpetuò ſui ſimilis,

fortuito inconſtantíque Casûs molimini tribuenda, operæ pretium erit inveſtigare quibus viis à Dædaleâ Naturæ manu effingantur. Quærenti autem ſponte occurrerunt rationes, ut mihi quidem videtur, non levis momenti, ob quas in eam valdè propendeamus ſententiam illas in figuram quam habent Splenis operâ plaſmari. In quâ quidem diſquiſitione ſi veritatis metam attigerimus, duplicem profectò Audentiæ noſtræ reportabimus mercedem; ut tum fibrarum Officinæ, tum ignoti hactenùs Splenis Officii primi adinveniſſe habeamur; ſin erroris coarguamur, nonnihil tamen erit in re adeo arduâ atq; obſcurâ veriſimilia propoſuiſſe. Rationes autem quas pro ſententiâ noſtra allegamus ſunt hujuſmodi.

8. Primò, oportere aliquem in corpore aſſignari quaſi Typum in quo excudantur Sanguinis Fibræ in eam quam habent formam: Ut ut enim ejus partes magis craſſæ ac terreſtres caloris operâ coaleſcere atque à motu ipſius in longitudinem exporrigi ac produci poſſint, nequaquam tamen exiguitatem eam vel ab ipſo ortu haberent vel poſteà retinerent, ſed potiùs in unam (vel paucas aliquas eáſque nimis magnas coirent moles atque ad meatus profectò ſanguinis intercludendos obturandóſque aptas) niſi ab ipsâ

pæne

pæne novi ſanguinis nativitate in exilia quædam filamenta partis alicujus denſioris ope fabricarentur, quo facto, unaquæque diſtinctè terminos ſuos adſervare apta erit; aut ſicubi leviter peccatum fuerit, cum recurrente ſanguine ad eundem appulerint locum, à foraminosâ Typi illius (ſi qua ſit) formâ facillimè recudi atque emendari poterunt.

Proximè huic adſtipulatur quòd nulla alia corporis pars ad id muneris exequendum repertum ſit idoneum præter unum Splenem ipſum verò uſqueadeò ad amuſſim officio huic præſtando adaptari, ac ſi deditâ operâ ad hoc ipſum (ut reverâ fuit) conformatum à naturâ fuiſſet: Habet ſiquidem Lien (obſervante Cl. viro ac Præſide noſtro Dignſſimo D. *Gliſſonio*) ubiq; ferè foraminula *quæ per parenchyma ad venarum modum ramificantur, etiamſi venæ alicujus tunica nuſquam appareat*; adeò ut Machinæ illi cujus ope Artifices æs, aurum & argentum in longa filamenta attenuata deducunt hâc ex parte ſimillimus videtur. Habet porrò (inquit ille) venæ per Lienem diſſeminatæ tunica, ubique *Foramina, per quæ ſanguinem è parenchymate reſluum exhaurit*; Addit *lævorem ac firmitudinem parenchymatis circa cavitates canaléſque* eos qui in ipſo ſunt, *eoſdem integros conſervare, perinde* Anatom. Hepatis.

acſi vaſa per illa loca diſtribuerentur. Etſi, quando truncus Arteriarum propaginem quandam emiſerit, eadem ſtatim foramen aliquod jam dictum ingreditur, eſtque iſtud vaſe per ipſum delato multo patentius. Præter jam dicta autem foramina, quæ arterias excipiunt; ſunt alia quoque plurima, quæ in venas debiſcunt, eademque etiam per parenchyma ramificantur. En tibi, Lector, inſtrumentum ad fibras concinnandas exquiſitè fabrefactum. Vides ſanguinem ab arteriis exceptum per foraminoſum parenchymatis corpus deferri ad venas; vides ipſas hiare tanquam bucceam ſibi debitam excepturas; quod, cum, ſi totum circulantis ſanguinis curſum veſtigiatim oculis luſtraveris, nullibi corporis præterquam hoc in loco fieri compereris, concludes mecum peculiarem aliquem aptúmque foraminum iſtorum uſum aſſignari oportere, neque præter jam dictum aſſignari poſſe videtur.

10. Perpellit autem nos maximè ac planè cogit ut huic faveamus ſententiæ, quòd ſanguis ante integreſſum Lienis ſit rubentior ac tenuior, poſt egreſſum verò inde craſſior ac nigricans: Porrò, omnem tum craſſitiem tum nigredinem naturalem ſanguinis è Fibris oriri compertiſſimum eſt; adeò ut ſi ex ipſo bubulo eaſdem eximas, eum, reliquorum etiam tenuiſſimorum

nuiſſimorum ſanguinum inſtar, nigrore ac Spiſſitudine depoſitis, rubere atque diffluere videbimus. Quare antequam Lienem ingreſſus eſt ſanguis pauciores habebat Fibras, poſtquam egreſſus, plures: factæ itaque ſunt Fibræ in Liene.

11. Unum addam ad hanc quam amplectimur firmandam ſententiam Splenetica propriè dicta medicamenta frigida & ſicca eſſe, ejuſdem quoque cum fibris temperiei, & apta maxime ob terreſtreitatem ſuam, conſtringere & lienis laxitati lævoríque occurrere, quorum opeis ad fibras faciendas ſuumque munus fungendum, habilis tum conſervetur tum etiam de novo reddatur porrò obſervandum; morbos quoque eos qui ex ſplene læſo proveniunt eoſdem eſſe ipſos qui ex defectu fibrarum natos oſtendimus. Inter hos præcipuus ac maximè omnium notabilis eſt Lienis Scirrhus. Et licèt dici poſſit è Fibris in Splene retentis compingi eum, unde non mirum ſi dum ibi detinentur pauciores reperiantur in ſanguine, nihiloſeciùs peculiari jure has reſpicere Lienem argumento eſt, quòd, licèt in quâlibet aliâ corporis parte per quam Sanguis tranſit obſtructio fiat ſcirrhúſq; naſcatur, nulla tamen inde Fibrarum ſequi inopiam, qualis in ſanguine eorum eſt qui Liene affecto laborant; deprehendamus.

Denique Fibræ iſtæ nimiùm in Liene detentæ & ſcirrhoſam ſupergreſſæ conſiſtentiam in lapidem obriguerunt.

12. Morbi autem è nimiâ Sanguinis tenuitate (eò quòd Lien præ malâ temperie vel etiam lævitate Fibras elaborare non valeat) oriundi ſunt hujuſmodi. Icterus niger, qui tunc potiſſimùm inceſſit, ubi nativus Calor debilis eſt, abeſt autem penitùs Succi aduſtio; in quo ſæpiùs notavi maculas nigras, Corporis Linguæque cutem (veluti papyrum atramento deturpatam) plurimis in locis ſparſim defœdantem: Aliquando color lividus & plumbeus Corpus offuſcat, adeſt ſpirandi difficultas, pedes inflantur, atque ulcera in cruribus curatu difficilia excitantur, alia denique ſymptomata Scorbuto vulgò tribuita ſeſe produnt. Item tuſſis ſicca, nonnunquam Cordis palpitatio, ructus vomitúſque acidi, interdum Diarrhœa ac Dyſenteria. Quod ſi calor adſit paulo auctior tunc rubor quidam ac Phlogoſis faciem, præcipuè verò maxillam ſiniſtram, motu ſubitaneo ſuffundit, & dicto citius evaneſcit. Denique, Scabies, Cancer, &, ut verbo omnia complectar, quicunque affectus à nimiùm violentâ Sanguinis procedunt commotione, in quibus proinde omnibus plurimum quidem Succi, Fibræ autem pauciſſimæ reperiuntur. Ex

omni

omni itaque capite concluſum videtur, uſum Lienis eſſe, ut propria ſit Fibrarum Officina.

SECTIO SEXTA.

De Sanguine, ejus temperie, & quibus modis, cum redundat, naturaliter evacuetur.

1. HÆc vox [Sanguis] in duplici ſenſu uſurpari ſolet: Abſolutè namque atque in primo ſeu communiori ſignificato denotat totam illam humorum in vaſis mixtorum ibíque fluentium maſſam, in cujus naturâ inveſtigandâ integer Tractatûs hujus inſumitur Labor; ſecundariò verò & ſpecialiùs pro rubicundâ eâ maſſæ hujus portione quæ cæteris elaboratior, purior, ſincerior ac defæcacior eſt; unde cum addito [*purus Sanguis*] nuncupari ſolet, ſaltem debet, niſi aliàs à diſcurſûs ſerie ſatis diſtinctè internoſcatur ad ſpecialem cujus explicationem Capitulum præſens inſtituimus.

2. Sanguis itaque hic, cùm talis ſit, non immeritò reliquorum humorum appellandus eſt Princeps: In hoc, Spiritus, tanquam in Auguſtiſſimâ quâdam ſéque

dignâ habitat ſede, ibique purpureâ fulgentíque ornatus chlamyde conſpiſcitur. Hinc in actionibus vitæ obeundis proximum Spiritibus locum hic ſibi vendicat: unde largas Seri Succíve evacuationes, datâ occaſione, abſque magnâ roboris jacturâ perferre valemus; quòd ſi ſubtripla puri Sanguinis deperdatur quantitas, protinùs virium defectio Corpus enervat, & pallidæ mortis Anteſignanus membris obrepere incipit Frigus; pari ratione quâ ab ejuſdem imminutione Chloroſis, Cachexia, atque Hydrops, originantur. Quantum ſiquidem ſanguinis hujus (in hoc namque defacto includuntur Spiritus) tantundem etiam Caloris parti cuique ineſt. Hinc Animantia ſanguinea perfectiſſima ſunt, hinc etiam in humano genere qui temperie ſunt ſanguineâ jucundi, ingenioſi ac vegeti ſunt. Eſt denique humor iſte ultimum perfectiſſimúmque elaborantis ſeu coquentis Naturæ conamen, cui proinde pertractando ultimum non immeritò reſervavimus locum.

3. Circa hunc tria præcipuè conſideranda elucent: Materia ſcilicet, Efficiens, ac denique Finis; de quorum ſingulis ordine diſcurrendum eſt.

4. Materiam puri ſanguinis præcipuam ſtatuimus *Succum*: Ex hoc enim crudioribus Seri exhalatis partibus, manentibúſque

búſque iis quæ coctiſſimæ ſunt, item à diutinâ Caloris moderati actione redactóque quicquid viſcidum ac fibroſum erat in ſiccam quandam ac friabilem naturam plurimúmque Ignis purioris in ſe claudentem Sanguis hic coaleſcit. Eſſe autem Succum in componendo ſanguine cauſam facilè principem (ut omittamus *Ariſtotelis* Authoritatem, qui Succum *crudum eſſe Sanguinem*, hoc eſt *per coctionem* ſanguinem fieri exiſtimavit) exinde porrò conſtat quod Fonticuli, ad quos magna humoris iſtius confluit copia, ſpongioſâ quâdam & ſanguine diſtentâ turgeant carne; &, quòd punctum Saliens in albumine (quod purus putus eſt ſuccus) collocetur, ex eóque à maris ſemine imprægnato naſcatur; nec minùs compertum eſt ea ova quibus ante maſculi ſeminis adſperſionem albumen deeſt, ſola fæcunda eſſe, quæ verò abſque eâ ſeu è ſolius gallinæ virtute conflantur, generando fœtui eſſe prorſus inepta, Deeſt ſiquidem his efficax ille caloris gradus quo Galli ſemen imbuitur, quique per Gallinæ incubationem aut talem caloris gradum exuſcitatus, primùm partes albuminis rariores colliquefacit, dein ex eiſdem perfectè coctis ſanguinem generat, è quo perficitur pullus.

5. Cùm igitur Sanguis purus ſit humorum

morum coctiſſimus & veluti Apex, in excrementum propriè dictum degenerare non poteſt; nam quicquid excrementum ſapit, dum cautis naturæ paſſibus itur ad ſanguinem purum, excernitur, & ſi quid prorſus excrementitii in ſuâ admitteret temperie, quærendus eſſet alius humor, puro ſanguine, excretâ fæce illâ, purior. Hinc cernitur non eſſe eum ſanguinem purum, de quo eſt nobis ſermo, ſi quid illaudabile rejectamentum ei ineſſet. Speciatim in bilem verti non poteſt; hujus enim materiam eſſe fæculentiores pinguedinis reliquias jam oſtendimus; neque in Serum, cum à calore in fluiditatem reduci nequeat, neque in Succum, niſi remenſo Naturæ curſu, cùm ab hoc immediatè factum ſit: Neque in Pus, ob defectum humoris, ſeu triabilitatem: Unde obiter notandus eſt Error *Ariſtotelis* cum ſanguinem in pus & tophum mutari affirmavit, modò de puro ſanguine id intellexerit: Neque expurgari poteſt ut Serum; cum hoc (niſi in hypercatharſi) ne ſucco quidem competat, nedum huic. Eſt itaque Sanguis purus, tum ob ſinceritatem ſibi propriam, tum ob copiam Spirituum quos continet, tum denique ob denſitatis firmitatem quiddam ſtabile & (quantum natura rerum ferre poteſt) aliquo modo Incorruptibile; hoc

hoc eſt, nullæ dantur Cauſæ naturales quæ ipſum in humorem aliquem ſe pejorem (qualiter ſuccus in phlegma & mucoſitatem, ſerum in urinam, pinguedo in bilem demigrant) tranſmutari poſſit, melior autem ipſo nullus reperiatur, cùm ſit optimus; quare ſi inſtitutum naturæ peculiaris, ſive *humanæ* ſpectemus, permanebit ſemper ſanguis *Idem* (unde forſan *Arabum* error fluxit eundem ipſum à primo cujuſque Animantis ortu permanere ſanguinem exiſtimantium) Nam cùm is ſit viventium perfectiſſima pars, claudátque in ſe ſpiritus aliquo modo ut corpus Animam, ubi verò ad viventis ſummum perventum eſt, neceſſe ſit omnem mutationem ad non vivens progredi, maximè autem rei viventis interſit ut ad non viventis ſtatum non relabatur; imò cujuſvis rei, ut cum ſuæ perfectionis attigerit ſummum, nihil agatur amplius; evidentiſſimum eſt, ſi ſola conſideretur naturæ animalis ſanguifici utilitas, nullam prorſus mutationem, ſive quoad quantitatem, ſive quoad qualitatem ea fuerit, ſubiturum eſſe ſanguinem: ſi quam itaq; ſubeat, ab univerſali Naturæ curſu & Oeconomiâ ratio ipſius petenda eſt; hoc eſt, à communiſſimorum ſeu primorum corporum naturâ: Inter hæc activitate præpollet Ignis, cujus nota eſt indoles

à

à centro ad circumferentiam ſe undequaque diffundere, ſecúmque unà particulas cujuſvis rei intimè complicatas abripere; quare, cum in ſanguine puro emineat ínque eo altè ac ubique inſideat Ignis, idem in corpore humano efficiet; hoc eſt, minimas ſanguinis particulas tranſpiratione inſenſibili perpetim avecturus eſt, modò nè intercludatur exeundi via; non intercludi autem ſanguini inde patet, quòd hydrargyrum cutis poros nullo negotio intret; imò, emplaſtrorum ope concretiones, & vel oſſium ipſorum particulæ corruptione comminutæ eâdem viâ elici poſſint. Deniq; in vibicibus ſtagnans aliquandiu &, ut videatur, incraſſatus ſanguis poſt paucos dies abſcedit: licèt reverâ craſſitiem non contrahet (aliter non ita elapſurus eſſet) ſed friabilitatem; unde in minutulas & pluſquàm pulverulentas reſolutus & quaſi exiccatus particulas, è poris effugium parat. Quid quòd Succum à caloris operatione friabilem inducere naturam compertum ſit; multo itaque magis ſanguis, ut cui tum intenſior Calor tum temperies quoque inſit friabilior. Denique naturæ curſui Digeſtioni ſcilicet, poneretur Meta ſeu *Non-ultra* ac proinde ipſi vitæ Terminus, niſi, ſicut Aſſumpta in Lac, & Lac in reliquos humores ac præcipuè

ci puè Succum, ita Succus quoque indies in Sanguinem convertatur. Imò converti eum perpetuò neceſſe eſt, cùm Efficiens, nempe Calor, & Materia, Succus ſcilicet, nunquam non adſint; è quorum concurſu & quaſi complexu in albumine ovi, cui incubat gallina, intra triduum naſci perfectum ſanguinem experimur. In ſingulas itaque horas & momenta novus generabitur intra venas Sanguis purus, atque in immenſam turgeſcet molem & cujus continendi nè integrum quidem corpus capax eſſet, niſi modo aliquo inſenſibili elabatur; nullâ etenim ſenſibili viâ (ſicut reliqui humores) egredi eum manifeſtiſſimum eſt.

6. Si quis objecerit uterum in mulieribus eſſe proprium humoris iſtius conceptaculum, imò vas excretorium, per quod vitiatus ſanguis ſub menſtruorum formâ ejicitur. Reſpondebimus, hoc ſi verum eſſet, quæri debere, cur non eadem excretio, váſque aliquod utero analogon ad eam excipiendam aptum, itidem in Viris reperiatur æquè ac in Fœminis, cùm illis quam his longè plus inſit Sanguinis: quare, cùm neque viris neque viraginibus quæ proxime ad virilem accedunt naturam fluor iſte competat, non à ſanguinis ſed ab ipſarum naturâ fœminarum deducenda eſt menſtruorum ratio. Quid

quòd

quòd menſium in aliquibus ſuppleat locum hæmorrhoidum fluxus, & tamen perfecta ſanitas ipſis conſtet; unde patet nihil hîc reperiri Utero proprium, neque quicquam intereſſe, modò ſuperfluus exoneretur ſanguis, quâ tandem is egeratur viâ.

7. Si quæras quænam tandem juxta doctrinam hanc genuina ſit menſium cauſa, reſponſum habe. Ex antedictis comparet puri ſanguinis particulas inviſibiliter per poros effugere, quin etiam iſtud caloris ſive Ignis eaſdem primò comminuentis, dein comminutas exportantis virtute perfici: quare, ubi plus caloris adeſt, uberior evehetur ſanguinis copia, ubi minus parcior; pro ratione obicum etiam ſeſe opponentium eorúmque faciliori vel difficiliori penetratione, eædem in efferendo Sanguinem differentiæ contingant neceſſe eſt: Cum itaque in fœminis multo debilior ſit caloris gradus præ quod in viris reperitur, habitus item corporis & cutis denſior ex utroque capite conſequitur, plurimum ſanguinis in his per expirationem inſenſibilem avectum in illis autem quàm minimum. Aliâ itaque, cum redundat, ejiciendus eſt viâ: ne morbos inde ſequi natos generet nullo autem commodior aut minùs naturæ moleſta inveniri poterit quàm ſit uterus, per hunc itaque evacuatur. Veram eſſe hanc & propriam

propriam menſium cauſam ulteriùs manifeſtatur, eò quod nonnulli etiam viri quibus conſtitutio debilior, more fœminarum, fluxus menſtruos vel per hæmorrhoidas vel alias ſaltem partes patiantur, quibus ſuppreſſis in hydropes & cochexias, uti fœminis uſu venit, prolabuntur.

8. Probatur etiam à paritate: in tempore namque hyemali largior urinæ emingitur quantitas eò quòd obſtricti Cutis pori tranſpirare Serum non permittant; ob quam eandem cauſam non tantùm ſanguine ſed Sero quoque abundant Fœminæ; unde eæ quibus liberiùs ſeu copioſiùs fluant menſtrua, purgatu ſunt faciliores.

9. Quid quòd nulla alia apparet ratio quare in eum locum defluant menſes: neque enim ſunt Conceptûs per ſe Cauſæ ex parte fœminæ, cùm plurimæ quibus vel diu intermiſsi ſunt vel etiam nunquam perfluxerunt gravidæ tamen factæ fuerint: Neque prolis reſpectu neceſſarios eſſe eos hactenùs conſtat, cùm compertum jam ſit Embryonem ſanguine materno nequaquam nutriri. Reſtat itaque ut non niſi ſuperfluæ ſint ſanguinis partes, atque, ut tales, è corpore derivandæ; licèt, dum hoc fit, quandoque per accidens alii etiam effectus obiter ſortiantur.

10. Eſſe

10. Eſſe autem fluorem hunc maximâ ex parte ſanguinem crudum, colligitur ex morbis qui ab hujus ſuppreſſione creari ſolent; quales ſunt Pleuritis, Peripneumonia, angina, podagra, furores, apoplexia & hujuſmodi, quos ante è ſucco ortos diximus. Unde quo rectè quæ ſit mens hâc in re noſtra intelligatur, duplic omninò è causâ procedere Menſtrua ſtatuimus; quòd, ſcilicèt ob caloris defectum Succum in Sanguinem vertere impotens ſit natura, & quòd eundem jam ad Sanguinis ſtatum redactum in exïguas particulas uſque adeò attenuare non valeat ut evolare poſſit. Horum effectuum, ſi priorem eſſe imperfectè mixtum & corporis temperamento indebitum, ac proinde quodammodo excrementitium contenderis, non vehementer inficias iverim; at tunc enimverò ſanguinis ſtatum nondum attigit; poſteriorem verò quidquã omninò excrementitii in mixturâ ſuâ complecti, tum à ratione tum ab Experitiâ haud difficulter evincitur.

11. Super doctrinæ jam expoſitæ fundamento Theſin hanc extruo; nempe, Sanguinem nimis auctum niſi viis naturalibus exturbetur, artis ope imminuendum eſſe. Unde Hæmophobi, ſive perpetuum novi ſanguinis ortum, ideóque præexiſtentis augmentum non ſatis intellexerint,

rint, ſive quòd Sanguinem eſſe ipſam Animam ſuperſtitioſo errore ſeducti autumaverint, peſſimè errârunt ipſi, alióſq; curæ ipſorum ſe committentes ad exitium perduxêrunt, quos levi negotio Phlebotomia ſervaverat. Cùm itaque morbos è Sanguine naſci compertum ſit, ex ipſius Plenitudine oriuntur Apoplexia, Febres atque Hœmorrhagiæ, atque alia quamplurima his ſimilia : Et Defectum ejus quod attinet, affectus inde ſequi natos, unicâ ſententiâ, eâque ſapientiſſimâ complexus eſt *Ariſtoteles*, *Quæ autem* (inquit) *parùm ſanguinis habent, hæc jam inde ad interitum ſunt opportuniora ; Interitus enim inopia quædam ſanguinis eſt : Quodque parùm eſt, affici tum à frigore tum à calore facilè poteſt.* De Part Animal. l. 2. c. 5.

SECTIO SEPTIMA.

Præcipuarum circa Sanguinem Quæſtionum ſolutio.

1. STabilitâ quam nuper tradidimus de Sanguine doctrinâ omnes pænè circa eundem quæſtiones ultrò citròque à Medicis ventilatæ facilè ſolvuntur. Illa imprimis, *Quænam ſint qualitates Sanguinis propriæ.* Nam ſi *ſanguinem* tantummodò pro rubeâ illâ friabilíque ſubſtantia, ſeclusâ ſpirituum humo-

morúmque conſideratione, acceperimus, cùm, ſic acceptus, valdè terreſtris ſit, erit is propterea moderatè frigidus, Siccus autem in gradu inſigni ; uti patet ex partium diſſilientiâ (proprio ſiccitatis effectu) quam in eo reperiri in confeſſo eſt. Quòd ſi ipſum, tanquam quiddam ex Terreâ illâ ſubſtantiâ ac Spiritu, veluti ex Corpore & Animâ quaſi coaleſcens ſumamus, tunc enimverò (cùm Spiritus igneæ ſint naturæ) non minus exinde erit Siccus, erit tamen idcircò moderatè calidus. Quare, cùm Sanguis, quamdiu in venis eſt, nunquam non Spiritibus fœtus ſit, conſequitur morbos è Sanguine (ſic intellecto) natos (modò liber detur circuitus) Siccos eſſe ac calidos, ac propterea medicamentis humidis & frigidis eſſe ſanandos. Denique, ſi ſanguinem pro totâ illâ Sanguinis puri, Spirituum, humorúmque farragine ſeu confuſione ſumpſerimus, certum eſt eum, hoc modo conſideratum, Caloris Humoriſque mediocritate gaudere.

2. Hinc quoque decerni poterit *Bilis ſanguiſne calidior ſit.* Sanguis etenim purus, cùm è Succo tanquam è materiâ fiat, eâ ex parte terreſtris eſt & ſicca, unde eatenùs potiùs friget quàm calet ; quare, ex parte formæ tantùm ut ita dicam, hoc eſt, inhabitantis ignis, calorem habebit, vis autem illa ignea adeò à plurimâ terrâ admiſtâ

admiſtâ refringitur ac commitigatur, atque ab humectante ſero, quod ubique ſanguinis ſe inſinuat, contemperatur, ut, licèt is quiddam perfectè coctum dici queat, nequaquam tamen exuſtum aut aſſatum dici poterit. Bilis autem cùm è pinguedine, quæ proxima ignis capacitas eſt & naturâ valde calida, tanquam ex Materiâ, è plurimo autem calore tanquam ab Efficiente naſcatur, idcircò hâc utrâq; de causâ præfervida ac torrefacta evadit. Eſt itaque quiddam ſuperexcoctum ſeu præter modum calefactum; unde mitiori Sanguinis naturæ moleſtiam exhibet, &, veluti recrementum exturbatur.

3. Solvitur etiam facillimè Quæſtio illa, *An omnes partes ſanguine nutriantur.* Nam ſi vocis [*Sanguis*] æquivocatio ſeponatur, eaque pro puro ſanguine ſpiritibus imprægnato atque humoribus condiſtincto accipiatur, tum pernegandum eſt ullam omninò partem, præterquam ſanguineas, eo nutriri; ſin eam pro integrâ illâ in venis maſsâ, quæ tum humores omnes tum Spiritus quoque comprehendit, ſumatur, tunc enimverò omninò aſſerendum nullam dari corporis partem quæ ex ubere eo vel aliquâ ipſius parte, Succo præſertim, nutrimentum ſuum non hauriat; &, ſi quis ſententiam huic contrariam ſtatuminare niteretur, incumbit ei partem

aliquam assignare quam constet à Succo Nutritio caloris ope alterato fieri non posse; quod meherculè perdifficillimum erit.

4. Eâdem facilitate solvitur dubium illud, *An sanguis sit Prædator?* Cuncta etenim difficilia dum minùs indistinctè proponuntur, eadem tamen facillima & quasi sponte se aperiunt veritatis studioso si adhibitâ distinctione debitâ sigillatim expendantur. Dicendum itaque, si friabilem illam & solidiorem substantiam, eámque solam (sepositâ mentis ope spirituum consideratione) sub nomine *Sanguinis* designatam velimus (ut reverâ debemus si de sanguine in speciali instituatur sermo) adeò non deprædatur quicquam, ut è contra partibus (ut dictum est) sanguineis nutrimentum impartiatur, sin sub eâ voce partem etiam spirituosam, hoc est, Igneam comprehendamus, tunc enimverò id præstabit pro suo caloris gradu quod ignis ipse, si adesset, præstiturus fuisset; imò ubique naturæ in horas præstat, hoc est, paulatim depascetur absumetque vicinum sibi formitem, quantumvis perfectissima atque optima corporis pars is fuerit: Idem tamen, si in materiam nondum coctam, ex coctione verò idoneum nutrimentum futuram inciderit (ut nunquam non incidit)

eam

eam non mox deprædabitur, ſed coquet atque ad corporis nutritionem adaptabit: Eodem planè modo (licèt caloris atque efficaciæ gradu longè diſpari) quo ignis culinaris alias quidem foci partes in fumum & cineres vertit, vel ſi malimus in Metaphorâ ludere, eas deprædatur; Idem tamen alias crudiores nondum devorat ſed calefacit tantùm ac perficit, aptámque alendo igni eſcam & foco continuando materiam reddit.

5. Veruntamen quid hæc ad Sanguinem? Ex ſe enim à parte ſpirituosâ eſt quid prorſus diverſum, vel ſi rubentem illam ac friabilem ſubſtantiam (quam genuino vocis ſignificato *Sanguinem* appellamus) unà cum Spiritu ſub unâ eâdemque notione complecti velimus, certè ſecernendæ ſunt plures in eâ rationes, ſtatuendúmque ſub quâ conſideratione intellectus [*Sanguis*] Prædator dicendus ſit. Quod ſi fecerimus, cùm deprædari maximam activitatem ſonet, hoc autem parti illi friabili, utpote terreſtri, nullo modo competat: caloris autem ſeu Ignis proprium ſit, de hoc proinde ſolo, hoc eſt, de Sanguine quatenùs calorem in ſe habet, ſeu (quod tantundem eſſe docet Logica) de ipſo calore ſeu ſpiritu qui ſanguine clauditur, deque eo ſolo agitari Quæſtionem omninò neceſſe eſt.

6. Et jam, ubi vera rerum nomina invenerimus, ipſam pariter Queſtionem amiſiſſe videmur: Calor ſiquidem in ſanguine concluſus non magis Sanguis dici meretur quàm Ignis in ferro candente contentus ipſum appellandus ſit Ferrum. Nihilominùs procedat, utì debet, de Calore ſeu Spiritu (ſi quidem ea fuerit quærentium mens) neque ob vocis improprietatem eludatur. Quæritur itaque an calor ſeu igneæ Sanguinis particulæ alias corporis abſumant partes: Et jam iterum, ſejunctis per diſtinctionem conceptibus noſtris, in nimiâ ſolutionis facilitate deperdi videtur quæſtio. Ignis ſiquidem ſeu Calor, ubicunque eſt, ſemper agit ſimiliter ſibi; hoc eſt, vicina corpora aliquatenùs immutat, unáque ſecum avehit, modò operationis ipſius ſuſceptiva ſint. De ſingulis quæ contingit ſubjectis, quò clariùs pateat rei veritas, diſcurrendum eſt. Agit calor nativus in Serum illúdque ex parte rarefactum per tranſpirationem amandat inſenſibilem: Agit in butyroſam Lactis noſtri portionem; cujus optimam ubi libaverit partem atque ex eâ ſpiritum elicuerit, relictas fæces in bilem aſſat. Agit in ejuſdem partem Caſeoſam ſeu Succum nutritium, & terreſtrem ejus indolem in ſubſtantiam quandam æquabiliter friabilem longâ coctione ſiccat; tandémque eandem diutinâ exic-

catione

catione valdè comminutam inſenſibiliter evehit. Coquit etiam foci vice in ventriculo cibos, lac ſeu chylum perficit, motûs ſola atque unica eſt cauſa, infinitis denique aliis in corpore animali inſervit uſibus. Has omnes operationes, vel harum aliquas ſi deprædationes nuncupare velimus, certè nihil peculiare *calori ſanguinis* hâc in re tribuendum eſt; cùm, ubicunq; Naturæ repertus ſit Calor, idem prorſus fiat. At neque mirum quid dici debet quòd modò fluidiores carnis, imò membrorum ſolidorum, particulas actione ſuâ ſolvat, ſolutas abripiat.

7. Pernegandum autem omninò mihi videtur, quod aſſeritur, in Febribus ſcilicet ubi nihil præter potum ſumitur, ſanguinem propriorum organorum deprædatione creviſſe: nam, cùm Succus ſit immediata puri ſanguinis materia ac proinde proprium caloris hujus pabulum, is autem ubique in venis etiam poſt phlebotomiam diffundatur, nihil mirum in eâ occaſione auctum iri de novo ſanguinem: Imò forſan hanc ipſam ob cauſam plus ſanguinis de integro generabitur quòd nonnihil præcedentis ablatum ſit; ad ſanguinis enim è ſucco procreationem moderato atque æquabili calore opus eſt, ut patet in Ovis (de albumine loquor) quæ continuato gallinæ incubantis tepore in

ſanguinem formantur: Eadem tamen ſi igni vel foco violento applicueris in inſignem duritiem compingere, pullum autem inde effingere nequaquam valebis. Quare in Febri ante venæ ſectionem veriſimiliter præ caloris exceſſu inſpiſſabatur Succus & minus fiebat ſanguinis, ablato verò paululo ad mediocritatem redactus jam calor (præſertim ſi ex phlebotomiâ relictus in venis ſanguis ex intemperie præternaturali in nativam deferbuerit temperiem) ad ſanguinis è ſucco non inſpiſſato confectionem accommodatior evadit.

8. Perneganda denique (ut tantorum Virorum veniâ hoc dicam) Conſecutio illa. *Quamobrem cùm ſanguis ſolidarum partium ratione prædo ſit, non poteſt certè ipſis in victum cedere, ſed alimentum potiùs debilius requiritur.* Neque enim magis implicat ut Idem ſecundum diverſas ſui partes ſit tum devorator tum cibus, quàm album ſimúlque nigrum, calidum & frigidum, humidum & ſiccum; quæ quidem omnia in mille exemplis cernere licet. Eſt itaque friabilis illa ſubſtantia quam Sanguinem vocamus, *Nutrimentum* quidem partibus ſanguineis, nunquam autem alicujus partis *Prædo* ſeu *Helluo* cum ſit naturæ (utpote terreſtris) prorſus iners ſegniſque, neque edaci aliqua vi præ-

prædita, qualis in acribus reperitur. Eſt autem Calor (quem eò quòd in venis huic intimè immiſceatur, partem forſan eſſe hujus exiſtimare proclive eſt) partium omnium quas contingit Immutator juxta recipientis modum; ſive mutatio ad nutrimenti confectionem, ſive ad partium corruptionem devergat, ac propterea aliquando *Prædo*, nunquam tamen idem Calor cibus eſſe poteſt. Cum verò dicitur, *Caro à vitali Calore perpetuò abſumitur*, nihil meherculè veriùs proferri potuit; nam, cùm pro certo habeatur, carnem nihil aliud eſſe quam ſanguinis particulas receptaculis quibuſdam concluſas, non dubium eſt quin harum minimæ præ longâ exiccatione maximè comminutæ à calore nativo perpetim evolante deliberentur unáque è poris effugiant; neque magis dubitare licet alias minùs ſiccas, ſeu (ut dictum eſt) *teneriores* in eorum locum deperditam ſuppleturas carnem perenni curſu ſubmitti.

9. Paucis dicam, cùm in confeſſo ſit Carnem ex particulis ſanguineis coaleſcere (nam vaſcula his infarcta Membranulæ ſunt non Caro) quicquid Carni ſive accedit ſive decedit id totum nihil aliud eſſe poteſt quàm ipſe Sanguis: Huic itaque competit tum appelli tum avehi, quorum utrumque cum Paſſionem ſonet, *deprædari* autem

autem Actionem, Sanguis ex ſe vel ſui causâ nequaquam Prædator dici debet. Deniq; ſi Calorem eſſe partem ſtatuamus Sanguinis, eúmq; proinde ſecundùm unam partem ſeu qualitatem activam agere, ſecundùm paſſivâ pati, rem ex ſe notiſſimam pro novâ quæſtione propoſituri ſumus; ſin idem ſecundum eandem partem tum agere tum pati aſſeratur, primo humani intellectûs principio ab ipsâ Naturâ ſancito vis infertur: Idemq; ſecundùm idem aget & non aget, idque eodem tempore; neceſſe eſt enim quandocunque ſanguis ſe deprædatur, ipſe quoque ſimul ſemélque ſibi præda ſit.

10. Ultimò ſolvitur ex principiis jam poſitis quæſtio illa. *Quot ſunt nativi in ſanguine humores?* Cui breviter reſpondeo, Propriè & Diſtinctè non eſſe niſi Unum, nempe Serum: Cùm enim omnis Humor propriè dictus ſit ex ſe fluidum quiddam ac proinde (niſi pinguis ſit) aliquatenùs humectandi virtutem habeat, Caſeus autem ſi ſerum inde omninò exprimas, ac proinde Caſeoſa Sanguinis pars, exhalatâ Ignis ope parte ſerosâ, nequaquam diffluat, ſed densâ conſiſtentiâ pænè rigeat; At nec purus Sanguis, cum, ſeorſim ſumptus friabilis ſit, nedum Fibræ, quicquam cum humore ſimilitudinis habeant; Reſtat enimverò ſolum atque unicum

unicum Serum propriè & per ſe Humorem nominandum eſſe. Neque id mirum cum Pars *Seroſa* eadem ſit & *Aquea*; cujus Elementi in humectando Eminentia omnibus jam innotuit. Verum quidem eſt multum aeris in parte reperiri butyrosâ; attamen, cùm hæc nequaquam intra venas permanere nata ſit, ſed purior ipſius pars mox in Spiritus rarefiat, reliquiæ verò in bilem degenerent, quæ non nativus (de quo nobis ſermo) humor eſt, ſed excrementitius, neutiquam iſtud ſententiæ noſtræ obſtare videtur, *nullum* ſcilicet, *præter Serum reperiri intra venas humorem naturalem.*

Anacephalæoſis.

EN tibi, Lector, univerſum pænè Medicinæ Argumentum in brevi tabellâ ob oculos poſitum. Dat nobis Prima Coctio Lac ex Ingeſtis, Ventriculi atque Inteſtinorum operâ, quaſi emulſum. Continet autem in ſe Lac tres partes notiſſimas; Butyrum ſcilicet, Serum & Caſeum; quarum omnium naturas in venas unà ſecum transfundit. Hinc varia humorum ſpirituúmque Sanguinem componentium indoles: E quorum proinde Quantitate ac Qualitate omnis tum Sanitatis, tum Morborum, eorúmque Medelæ petenda

eſt

est ratio. Hæc si constent, nequaquam adeò incertis gradietur vestigiis Scientia Medica; neque ipsi dehinc tanquam Arti cuidam conjecturali, exprobrabitur. Si quid fructûs ex opellâ hâc meâ decerpi contigerit, sat mercedis mihi erit profuisse multis; Sat Laudis de Medicinæ Cultoribus benè meruisse.

FINIS.

ANATO-

ANATOMIA
THOMÆ PARRI
ANNUM
Centeſimum quinquageſimum ſecundum & novem menſes agentis.
CUM
Cl. Viri GULIELLMI HARVÆI
ALIORUMQUE
Adſtantium Medicorum Regiorum
OBSERVATIONIBUS.

NArrationem Anatomicam quam hîc ſubjectam vides, Curioſe Lector, à Cl^mo *Harvæo*, currente ut videatur calamo, memoriæ causâ conſcriptam, ab ornatiſſimo viro D. *Michaele Harvæo*, ejuſdem Doctiſſ. viri *Patruele*, mihique affinitate atque amicitiâ conjuncto dudum accepi; quam quidem, ſicut tanquam munuſculum mihi gratiſſimum exoſculatus ſum, ita tum ob venerandum Authoris nomen, ipſiúſque novitatem rei, tum quòd ad rem quoque noſtram aliquâ ex parte conducat, publico nequaquam eſſe celandam ſed Operi huic noſtro attexendam exiſtimavimus.

Anno Domini 1635 *Nov.* 16 *die, ipſo etiam Anniverſario Nativitatis Sereniſſimæ* Henriettæ Mariæ Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ *Reginæ*

Thomas Parr Anglus, *Salopienſis*, ex Pago *Winnington*, extenſæ Senectutis pauper

pauper Agricola (ad quem viſendum Illuſtriſſ. vir Comes *Arundelius*, cum fortè iis in locis ageret, incredibilis rei famâ permotus diverterat, eumque ex agro in urbem abductum,& cum in itinere, tum domi ſuæ accuratiſſimè habitum, Regiæ Majeſtati in Spectaculum exhibuerat, poſtquam Centeſimum quinquageſimum ſecundum & novem menſes ætatis ſuæ compleviſſet, novémque Principum vitas & jam decimum hujus fœliciſſimi Principatûs annum emenſus eſſet, tandem vivere deſiit; extinctus 14 Novembris Anno Salutis Humanæ 1635.

Factâ autem Cadaveris diſſectione ex mandato Sereniſſimi Regis,cujus quoque nonnulli è primoribus adſtabant Medicis, ſic reperiebamus.

Habitu erat corporis euſarco, pectore piloſo, & in exteriori cubito pilis adhuc nigricantibus, tibiis verò depilatis & glabris.

Genitalibus erat integris, neque retracto pene neque extenuato, neque ſcroto diſtento ramice aquoſo, ut in decrepitis ſolet, teſticulis etiàm integris & magnis; adeò ut non abſimile vero fuerit quod de eo vulgò prædicatur; eum nimirùm poſt annum ætatis centeſimum, incontinentiæ convictum pœnas publicè dediſſe; quin neque uxor ejus, quam anno

anno ætatis ſuæ centeſimo & vigeſimo duxerat viduam, ex percunctatione diffiteri poſſet, eum cum ipsâ rem habuiſſe, juxtà atque alii mariti ſolent; &, uſque ad duodecim annos retroactos, ſolitum cum eâ frequentâſſe congreſſum.

Pectore erat lato & amplo: pulmones ejus non fungoſi, coſtis (dextro præſertim latere) fibroſis nexibus affixi tenebantur; multo etiam ſanguine diſtenti, utì in Peripneumoniâ fieri ſolet; adeò ut ante expreſſionem ſanguinis, aliquantulum nigreſcere videbantur; unde & in facie livorem, &, paulò ante mortem, ſpirandi difficultatem cum Orthopnœâ in illo obſervavi; hinc erat quòd diu poſt obitum in axillis & pectore calor perduraret: hoc denique & reliqua ſigna in cadavere eminebant quæ extinctos per ſuffocationem ſequi ſolent.

Nos ipſum ſuffocatum & ex impotentiâ ſpirandi periiſſe judicavimus, idémque Sereniſſimo Regi ab omnibus Medicis aſtantibus relatum eſt; expreſſo autem poſthæc & abſterſo à pulmonibus ſanguine, albiſſimo & pænè lacteo parenchymate videbantur.

Cor magnum habuit & craſſum, fibroſum etiam cum copioſâ ſatis adnaſcente pinguedine circa ambitum ipſius & diſſepimentum: Sanguis in corde nigricans

dilutus vix grumeſcebat ; tantùm in dextro ejus ventriculo aliqui thrombi exigui viſi ſunt.

In diſſectione Sterni Cartilagines non magis oſſeæ vel in oſſis naturam converſæ quàm in cæteris hominibus, ſed flexiles & molles.

Inteſtina erant optima, carnoſa, robuſta & ſimiliter ventriculus ; tenuia etiam inteſtina quibuſdam inciſuris, quaſi annulis, muſculoſa apparebant. Unde factum eſt ut de quolibet eſculenti genere die vel nocte, non obſervatis edendi regulis aut tempore, frequenter veſcebatur ; Contentus caſeo ſubrancido, & lacticiniis omnibus, pane furfureo, eóque duro, potu tenui, ſæpiſſimè ſero acidulo. Sic parcè & duriter paupertino in lare abſque anxietatibus degens vitam ſibi longiorem produxit. Circa mediam noctem paulò ante mortem comedebat.

Renes pinguedine operti fuerunt, ac ſatis validi ; ſolùm in latere anteriori abſceſſus extitèrunt aquoſi, ſive collectiones ſeroſæ parvæ ; è quibus tamen una ad ovi gallinacei magnitudinèm accedebat, aquam flaveſcentem propriâ cyſte continens, cum cavitate rotundâ in ſubſtantiam Renum depreſsâ ; Unde aliqui paulo ante obitum, urinæ ſuppreſſionem ei contigiſſe exiſtimabant ; alii, regurgi-

tante

tante omni ſeroſitate in pulmones, urinam ſuppreſſam probabiliter magis conjectâſſe videbantur.

Calculus neque in veſicâ, neque in renibus, nec aliquod ejus ſignum uſquam apparebat.

Meſenterium obeſum & Colon cum omenti pinguioris nexibus Jecori (circa fundum veſicæ fellis) colligabatur; & ſimiliter Peritonæo Colon hinc inde partibus poſterioribus affixum erat.

Viſcera laudabilia; tantùm foràs (tanquam leviter excocta) albidiora; intùs (ut erat etiam ſanguis) atri cruoris colore perfuſa.

Splen valdè exiguus unius renis magnitudinem vix attingebat.

Omnia denique interiora ita vegeta apparebant, ut ſi de conſuetudine priſtinæ vitæ nihil immutâſſet, aliquanto fortaſsè diutiùs mortem diſtuliſſet.

Cauſam mortis in ſubitam mutationem in rebus non naturalibus referre conſentaneum erat: Præcipuè tamen illata ei noxa erat ex mutatione aëris; quo, toto vitæ curſu, purgatiſſimo, tenui, frigidiori & diffl abili uſus eſt; unde liberiùs eventari & refrigerari præcordia & pulmones potuêre; quo vitæ commodo urbs hæc maximè deſtituitur; cùm quòd permagnâ colluvie hominum,

jumentorum, canalium, & reliquarum ſordium perpetuò ſcateat, addito etiam nonnullo inquinamento ex effumatione carbonum foſſilium ſulphureorum, quorum frequentiſſimus uſus hîc eſt ad Ignis pabulum; unde Aër ibidem ſemper gravis, Autumni verò tempore longè gravior, homini præſertim venienti ab apricis & ſalubribus *Salopiæ* tractibus, maximè jam ſeni & debili, non potuit non eſſe valdè incommodus.

Accedebat quòd ſemper anteà uno & ſimpliciſſimo introſumptorum genere victitâſſet: undè, poſtquam ad largam, opiparam variámque vivendi rationem & meraciores hauſtus paulatim admiſſus eſſet, naturalium inde partium ferè omnium officia corrumpebat. Unde, hebeſcente tandem ventriculo, excretis diutiùs immorantibus, coctionis opere ignaviter procedente, conſtipato Jecore, ſanguine in venis torpeſcente, gelatis ſpiritibus, Corde, vitæ fonte, oppreſſo, obſtructis pulmonibus aërique commeanti impervius, habitu denique corporis denſiore reddito adeò ut diffiari aut perſpirari non poſſet, nihil mirum Animam hujuſmodi carcere minimè contentam, inde demigrâſſe.

Cerebrum ei erat integrum, firmiſſimum & ſolidiſſimum ad Tactum; hinc paulò ante mortem, licèt per viginti annos

cæcus

cæcus fuiſſet, tamen optimè audire, & audita percipere, & promptè ad quæſita reſpondere, & ad oblata rectè ſeſe habere cognitus eſt, quin & inter duos leviter ſuffultus obambulare valebat: Memoria tamen ipſi multum imminuta fuit, ut nihil planè eorum quæ juvenis egerat in mente hæreret: neque vel actionum publicarum, vel Regum vel Procerum qui eminebant, vel bellorum, vel turbarum primæ ſuæ adoleſcentiæ, vel morum, vel hominum, vel pretii rerum venalium, vel quorundam aliorum accidentium quæ ſervari in memoriâ ab hominibus ſolent, meminiſſet: earum tantummodò rerum reminiſcebatur quæ noviſſimis annis actitâſſet: cùm tamen Anno ætatis ſuæ centeſimo & trigeſimo in quocunque opere ruſtico, unde ſubſidium vitæ ſuæ comparare poſſet, ſtrenuè verſari ſolitus ſit, etiam ad frumenti triturationem.

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

ERRATA.

PAg. 6. *l.* 4. lac generent. *p.* 9. *l.* 13. viventium. *p.* 15. *l.* 20. habere præ-nobilem. *pag.* 16. *l.* 24. prolabi. p. 25. *l.* 24. *Raucedine. pag.* 27. *l.* 22. Sectio quarta. *pag.* 34. *l.* 9. Lac tum. *pag.* 41. *l.* 30. cætera. *p.* 43. *l.* 24. reficiendis. *pag.* 57. *l.* 14. citius rebus. *pag.* 79. *l.* 27. hydrelæo. *p.* 81. *l.* 5. Pepasmum. *l.* 8. Huic. *p.* 83. *l.* 15. opipara. *p.* 85. *l.* 22. perficit. *l.* 28. afficiunt. *p.* 87. *l.* 16. medeatur. *p.* 88. *l.* 17. corporis. *l.* 26. detinentur. *l.* 28. sustinent. *p.* 89. *l. ult.* innoxiè spiramus. *pag.* 90. *l.* 25. soporem. *p.* 91. *l.* 2. obsideatur. *p.* 98. *l.* 24. intrinseca. *p.* 107. *l.* 9. arripiunt. *p.* 122. *l.* 11. *influxu. Ibid.* in marg. l. 1. *p.* 134. l. 1. aëreas. *p.* 142. *l.* 13. pertransitus. *p.* 163. *l.* 20. tumores in. *p.* 179. *l.* 17. phrenetici. *l.* 26. delusâque. *p.* 180. *l.* 14. imperii. *p.* 182. *l.* 7. medicamentis ex. *p.* 183. *l.* 2. id genus. *l.* 15. ut manus. *p.* 184. *l.* 28. instituto. *p.* 185. *l.* 24. discussione vel. *p.* 186. *l.* 29. excitandos. *p.* 190. *l.* 23. statuendum. *p.* 191. *l.* 20. naturam sit. *p.* 195. *l.* 20. atque ut plurimum. *p.* 200. *l.* 18. multiplicabilis, ultra. *l.* 29. versès. *p.* 204. *l.* 13. pallido-flava. *p.* 205. *l.* 16. quamvis non. *p.* 207. *l.* 8. communis sit. *p.* 211. *l.* 3. exardebat. *p.* 217. *l.* 29. utriusq;. *p.* 225. *l.* 10. sint. *p.* 227. *l.* 14. sint. *p.* 238. *l.* 6. rectenè. *p.* 245. *l.* 8. obsisterent. *p.* 252. *l.* 2. intra partes. *p.* 257. *l.* 1. observatum. *p.* 259. *l.* 28. peripneumonia. *p.* 265. *l.* 5. connumeranda. *p.* 266. *l.* 27. contigerint. *p.* 268. *l.* 18. grumosa. *p.* 269. *l. ult.* raucedines. *p.* 274. *l.* 14. copiosam. *pag.* 277. *l.* 12. uti nequaquam. *l.* 27. extremitates. *p.* 278. *l.* 1. undique. *l.* 9. illâ corpus. *l.* 21. quà pro- *p.* 279. *l.* 25. propiorem. *p.* 280. *l.* 1. conspicimus. *p.* 282. *l.* 22. sunt certum. *p.* 284. *l.* 22. morti. *pag.* 285. *l.* 11. sapiunt indolem, quò ad. *p.* 293. *l.* 16. reddatur. Porrò, observandum morbos. *l.* 28. nullam. *p.* 295. *l.* 21. defœcatior. *p.* 296. *l.* 2. conspicitur. *p.* 300. *l.* 22. induere. *p.* 302. *l.* 25. avectum iri. *l.* 28. nulla. *p.* 303. *l.* 23. profluxerunt. *p.* 304. *l.* 24. revincitur. *l.* 29. sive quòd. *p.* 307. *l.* 20. atque à reliquis. *p.* 308. *l.* 7. minùs distinctè.